

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

**Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp
Gerhard, Johann**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617681

Caput XXVIII. Continens Historiam Colloquii Inter Christum Et Nicodemum,
Johan. 3.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18203

observandum est: unus ex hisce credentibus, quibus Christus seipsum non credebat, fuit Nicodemus: cui fides, quomodo progressa sit, & postea pulcherrimos fructus ediderit, in sequentibus explicabitur.

Addit autem Joannes, (*Ipse nōrat omnes, sciebat enim, quid esset in homine.*) Et ostenditur vera in Christo humanitas, eō quod seipsum non credebat Judæis: vera autem divinitas in ipso ostenditur, quod sciebat, quid in homine esset. Est autem hoc loco Epiphonema, de occultis latebris & sinuosis recessibus cordis humani, ita ut hypocrisis non alios tantum fallat, verum etiam seipsam decipiat. Judæi enim isti nequaquam cogitarunt, se temporarios esse in fide, sed solus Christus, tanquam Deus, scit, inquit Evangelista, quid in homine sit. Sicut Augustinus recte dicit, Petrum ipsum ignorasse, quid in corde suo esset, Matth. 26. v. 35. Et quidem in extremo die multi vana persuasionē fidei non verā accedent, Matth. 7. v. 22. Christus igitur, ut Deus, videt & novit corruptionem & perversitatem cordis humani, quā leviter, quā facile, quā citō à fide deficere possint, qui credunt, si sibi ipsis relinquuntur. Hæc verò doctrina non eō pertinet, ut in perpetuas dubitationes conjiciamur, sed ne quis excusso timore Domini, seposita humilitate, securus torpescat, vel superbè sibi blandiatur, quando principia aliqua fidei & pietatis habet: sed ut oratione, & continuis pœnitentiæ & fidei exercitiis eō ardentius gratiæ Dei & auxilio Spiritus sancti inhæreamus, utque probare

discamus, quæ fides etiam in summa infirmitate vera sit, & quæ sit instabilis, & temporaria. Quia igitur fides agit cum Deo, qui scit, quid in homine sit, non accedamus ipsum levi & evanida fidei umbra, sed probemus nos, an sumus in vera fide, 2. Corinth. 13. v. 5. Dulcissima enim est mutua illa relatio, quam Evangelista hac phrasi describit. Nos fide credimus Deo salutem corporis & animæ: & Deus vicissim nobis se credit totum, cum omnibus suis cœlestibus bonis.

In historia igitur primi Paschatis, quando Jesus ut dominator primò venit ad templum suum, multi loci continentur:

1. De Scriptura, eo enim planè modo venit ad templum suum, sicut Propheta prædixerat: item, Crediderunt Scripturæ, & sermoni, quem dixerat Jesus.
2. Doctrina de signis & miraculis.
3. Quæ ratione puritas doctrinæ & cultus divini restituatur.
4. Quia doctrina Evangelii & beneficia Messis fide accipienda sunt, locus de fide tractatur, non in Theoria saltem, sed ut quisque se ipsum probet.
5. Notetur & hæc descriptio, qualem successum habuerit doctrina Christi, quando primum in templo docuit. Quidam fremunt; Quidam calumniantur; Quidam signa petunt; Alii credunt, sed fides non est vera. In discipulis verò tanta est fidei infirmitas, ut non intelligant omnia, quæ Christus dicit.

CAPUT XXVIII.

CONTINENS HISTORIAM COLLOQUII INTER CHRISTUM ET NICODEMUM,

Johan. 3.

RATIO ORDINIS.

Nliquoties jam ostensum est, inter hæc historias usque ad quartum caput à Johanne descriptas, ex reliquis Evangelistis nihil vel posse vel debere interseri: sed *εἰς τὸν ἀναλόγητον*, seriem consecutionis historiarum, à Johanne notatam, sequendam. Cum enim reliqui historias post captivitatem Baptistæ describant, Matth. 4. v. 12. Marc. 1. v. 14. Johannes sub finem tertii capitis disertè ostendit, se ea narrare, quæ gesta sunt, priusquam Baptista in carcerem conjiceretur. Præcedentibus igitur ea, quæ in hoc tertio capite sequuntur, subjungenda esse, non est dubium. Sed videndum est, an in descriptione Joannis aliquid, quod ad notationem circumstantiarum, temporum & locorum faciat, observari possit. Non autem existimandum est, vel in ipso festo Paschatis, vel paulò post, cum Jesus adhuc à festo commoraretur Hierosolymis, colloquium hoc inter Nicodemum & Christum institutum fuisse. Johannes enim in fine secundi capitis indicat, se ea, quæ gesta sunt, cum in festo Paschatis Jesus Hierosolymis esset, capite secundo descripsisse. Cum autem addit: (*Ipse autem Jesus non crede-*

bat seipsum eis.) Judæis scilicet in Hierusalem, ostendit, Jesum post festum non diu mansisse Hierosolymis, sed relictâ urbe aliò secessisse, (sicut & aliàs exactis diebus festis non solitus fuit diu in urbe commorari.) Et post illum à Hierosolymis discessum illud cum Nicodemo accidisse, ordo descriptionis manifestè ostendit. Nicodemum autem in urbe Hierusalem habitasse, & unum fuisse ex senatoribus illius loci, colligitur ex historia Johan. 7. v. 50. Non ergò in illo secessu extra Jerusalem Nicodemus Jesum adiit: sed factum hoc fuit, quando ex illo secessu Jesus reversus fuit Hierosolymas. Quod, quando factum sit, Evangelista non disertè ponit: colligi tamen verisimiliter ita potest. Generale hoc est in tota historia Christi, quod non ascendit Hierosolymas, nisi in sollemioribus festis. Verisimile igitur est, quod in uno aliquo ex sollemioribus festis, quæ primo illo anno ministerii Christi post Pascha secuta sunt, Jesus reversus Hierosolymas, in colloquium cum Nicodemo inciderit. Et quia post colloquium illud, de commoratione Jesu in tribu Juda, Johannes postea utitur verbo *ἀγαπήσεν*, quod diurnam & longiorem commorationem significat.

Harm. Tom. I.

U 2

Pro

Pro verisimili igitur conjectura accipi potest, quod in proximo festo post Pascha, hoc est, in Pentecoste, Jesus Hierosolymas redierit, & colloquium illud cum Nicodemo habuerit. Quæ conjectura ideo etiam mihi placet, quod in Pentecoste, quod erat festum commorationis data Legis, Christum summam novæ Legis, quæ ex Jerusalem exire debebat, Isa. 2. v. 3. Mich. 4. v. 2. ad Nicodemum exposuisse pulcherrima analogia & symphonia est Veteris & Novi Testamenti. Sicut & postea in Pentecoste Apostoli, missi Spiritu sancto, prædicationem Evangelii cœperunt.

Eodem modo etiam locorum circumstantia inquirenda est. Joannes enim non expresse quidem indicat, quod Jesus discesserit, cum post festum Judæis Hierosolymitanis se non crederet. Existimo tamen, & illud colligi posse, unde ordinum harum historiarum plurimum lucis accedet. In Galilæam igitur statim post Pascha Jesus non fuisse reversum, inde constat, quod Joh. 4. v. 43. tunc scribitur ex Judæa rediisse in Galilæam, quando Reguli filium sanavit, quod factum fuisse, cum quatuor menses ad messem, hoc est, ad secundum Pascha superessent, Johan. 4. vers. 35. expresse dicitur. Post colloquium verò cum Nicodemo habitum, Johannes dicit, (*Jesum venisse in terram Judæam* :) Quæ non in genere eo loco accipi potest: sicut aliàs tota terra distribuitur in Judæam, Samariam, & Galilæam: ita enim & ipsa urbs Hierusalem in Judæa sita est, ut non rectè diceretur, aliquem ex Hierosolymis venire in Judæam. Sed propriissimè intelligenda ibi est illa pars terræ, quæ tribui Juda assignata fuit, ita enim Jerusalem non in terra seu tribu Juda, sed Benjamin sita est, ut rectè dicat Johannes, Jesum ex Hierosolymis venisse in terram Judæam. Indè autem sic colligo: Quia Jesus statim post festum primi Paschatis ex urbe Jerusalem secessit, Johan. 2. vers. 24. nec in Galilæam vel Samariam tunc venit, Joh. 4. v. 43. sicut ostensum fuit: nec in tribu Juda, eò enim post colloquium cum Nicodemo venit, Johan. 3. v. 22. Ergo intermedio

tempore inter primum Pascha & colloquium cum Nicodemo, versatus videtur Jesus in illa parte Judææ circa Jerusalem, quæ ad Septentrionem vergens, ad tribum Benjamin pertinet. Hæc simplici studio ex circumstantiis non obscuris ira collegi, suum cuique lectori judicium liberum relinquens. Existimo autem, hæc ratione acta primi anni ministerii Christi, juxta circumstantias locorum & temporum, non inuulter illustrari, ut hic sit ordo: In Bethabara fuit baptizatus: inde ductus in desertum, unde reversus ad Jordanem, in regione trans Jordanem, quæ Peræa vocatur, per aliquot dies versatus est: inde abiit in Galilæam, ac edito primo signo in Cana, per Capernaum ascendit Hierosolymas. In festo Paschatis fuit Hierosolymis, docens & edens miracula, ubi multi in ipsum crediderunt. Post festum Paschatis cum Hierosolymitanis se non crederet, relicta urbe secessit in tribum Benjamin, hoc est, in illam partem Judææ, quæ à Jerusalem versus Samariam & Galilæam ad Septentrionem vergit. Atque ibi versatus est usque ad Pentecosten proxime sequentem, per hebdomadas quinque aut sex. Quid verò faciendo & docendo ibi egerit, Joannes non descripsit. Ad festum Pentecostes rursus ascendit Hierosolymas, atque tunc habitum ibi fuit colloquium inter Christum & Nicodemum, quod quod, iterum relicta urbe Jerusalem, venit in illam partem terræ, quæ ad tribum Juda pertinet ad Austrum, Idumæam & Aegyptum versus à Jerusalem sita, atque ibi docendo & baptizando usque ad captivitatem Baptistæ commoratus est: sicut sub finem Joh. 3. v. 22. indicabimus. Primo igitur anno ministerii sui Christus totam illam terram, quæ Judæa dicitur, citra & trans Jordanem, & à Samaria atque Galilæa distinguitur, peragravit, ac doctrina sua & miraculis illustravit, eo ordine, sicut jam dictum est. Hæc enim pars terræ Canaan, quæ Judæa appellatur, ad primam manifestationem Messias destinata fuit. Hæc visum fuit hoc loco; de ordine historiarum à primo Paschate usque ad finem anni, annotare.

HISTORIA COLLOQUII INTER CHRISTUM ET NICODEMUM, Joh. 3.

1. Ἦν ἄνθρωπος ἐκ τῶν Φαρισαίων, Νικόδημος ὄνομα, ἀρχὴν τῶν Ἰουδαίων.
2. Οὗτος ἦλθε πρὸς τὸν Ἰησοῦν νυκτὸς, καὶ εἶπεν αὐτῷ ῥαββί, οἶδα μὲν, ὅτι διὰ τοῦ Θεοῦ ἐλήλυθας διδάσκαλος. Ἰδεὶς γὰρ τὰ σημεῖα ἃ δύναι ποιεῖν, ἃ σὺ ποιεῖς, εἰ μὴ ἡο Θεὸς μετ' αὐτοῦ.
3. Ἀπεκρίθη ὁ Ἰησοῦς, καὶ εἶπεν αὐτῷ Ἀμὲν, ἀμὲν, λέγω σοι, εἰ μὴ τις γνηθῆ ἀνωθεν, ἢ δύναι ἰδεῖν τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ.
4. Λέγει πρὸς αὐτὸν ὁ Νικόδημος Πῶς δύναι ἄνθρωπος γνηθῆναι γέροντος, μὴ δύναι εἰς τὴν κοιλίαν τῆς μητρὸς αὐτοῦ δευτέρον εἰσελθεῖν, καὶ γνηθῆναι;
5. Ἀπεκρίθη ὁ Ἰησοῦς Ἀμὲν, ἀμὲν, λέγω σοι, εἰ μὴ τις γνηθῆ ἐξ ὕδατος καὶ Πνεύματος, ἢ δύναι εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ.
6. Τὸ γεννηθὲν ἐκ τῆς σαρκὸς σαρὶς ἐστὶ καὶ τὸ γεννηθὲν ἐκ τοῦ Πνεύματος πνεῦμα ἐστὶ.

1. Erat autem homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, Princeps Judæorum.
2. Hic venit ad Jesum nocte, & dixit ei: Rabbi, scimus, quod à Deo veneris Magister: nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.
3. Respondit Jesus, & dixit ei: Amen, amen, dico tibi, nisi quis natus fuerit è supernis, non potest videre regnum Dei.
4. Dicit ad eum Nicodemus: quomodo potest homo nasci, cum sit senex? Num potest in ventrem matris suæ iterum introire, ac nasci?
5. Respondit Jesus: Amen, amen, dico tibi, nisi quis natus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei.
6. Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex Spiritu, Spiritus est.

- 7. Μὴ θαυμάσῃς, ὅτι εἶπὸν σοι, ὅτι δεῖ ὑμᾶς γεννηθῆναι ἄνωθεν.
- 8. Τὸ πνεῦμα, ὅπως θελή, πνεῖ καὶ τὴν φωνὴν αὐτοῦ ἀκούεις, ἀλλ' ἐκ οὐδὲς, πόθεν ἐρχεται, καὶ πᾶς ὑπέγνω ἵνα εἴπῃς ἐπὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι, ὅ ἐκ τοῦ Πνεύματος ἐστίν.
- 9. Ἀπεκρίθη Νικόδημος, καὶ εἶπεν αὐτῷ. Πῶς δύναται ταῦτα γενέσθαι;
- 10. Ἀπεκρίθη ὁ Ἰησοῦς, καὶ εἶπεν αὐτῷ. Σὺ εἶ ὁ διδάσκαλος Ἰσραὴλ, καὶ ταῦτα ἐγνώσκεις;
- 11. ἀμὲν, ἀμὲν, λέγω σοι, ὅτι οὐδὲν λαλοῦμαι, καὶ ὁ ἐσωκαρδιᾶ μαρτυροῦμαι, καὶ τὴν μαρτυρίαν ἡμῶν ἐλαμβάνετε.
- 12. Εἰ τὰ ἐπίγεια εἶπον ὑμῖν, καὶ ἐκ ὁπίσθεντες πᾶς, εἰς ἡσυχίαν τὰ ἐπεράνα, πιστεύετε;
- 13. Καὶ ἄν τις ἀναβῆσθαι εἰς τὸν οὐρανόν, εἰ μὴ ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβῆσθαι, ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, ὁ ὢν ἐν τῷ οὐρανῷ.
- 14. Καὶ καθὼς Μωσῆς ἔθαυσε τὸν ὄφιν ἐν τῇ ἐρήμῳ, ἵνα οὐκ ὑψοθῆται δεῖ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου.
- 15. Ἴνα πᾶς, ὁ πιστεύων εἰς αὐτόν, μὴ ἀπώλη, ἀλλ' ἔχη ζωὴν αἰώνιον.
- 16. Οὕτως γὰρ ἠγάπησεν ὁ Θεὸς τὸν κόσμον, ὥστε τὸν υἱὸν αὐτοῦ τὸ μονογενῆ ἔδωκεν, ἵνα πᾶς ὁ πιστεύων εἰς αὐτόν μὴ ἀπώλη, ἀλλ' ἔχη ζωὴν αἰώνιον.
- 17. Οὐδὲ ἀπέστειλεν ὁ Θεὸς τὸν υἱὸν αὐτοῦ, εἰς τὸν κόσμον, ἵνα κρινῇ τὸν κόσμον, ἀλλ' ἵνα σωθῇ ὁ κόσμος δι' αὐτόν.
- 18. Ὁ πιστεύων εἰς αὐτόν ἐκρίνεται, ὁ δὲ μὴ πιστεύων ἤδη κέκριται, ὅτι μὴ πεπίστευκεν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ μονογενοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ.
- 19. Ἄντι δὲ ἔθνη ἠκρόασις, ὅτι τὸ φῶς ἐλήλυθεν εἰς τὸν κόσμον, καὶ ἠγάπησαν οἱ ἄνθρωποι μᾶλλον τὸ σκοτῆσαι τὸ φῶς, ἢ τὸ σὺν ἡμετέροις αὐτῶν τὰ ἔργα.
- 20. Πᾶς γὰρ ὁ φαῦλα πράσσων μισεῖ τὸ φῶς, καὶ ἐκ ἐρχεται πρὸς τὸ φῶς, ἵνα μὴ ἐλεγχθῇ τὰ ἔργα αὐτοῦ.
- 21. Ὁ δὲ ποιῶν τὰ ἀληθινὰ, ἐρχεται πρὸς τὸ φῶς, ἵνα φανερωθῇ αὐτῷ τὰ ἔργα, ὅτι ἐν ὧ ἐστὶν ἐργασμένα.

- 7. Ne mireris, quod dixi tibi, oportet vos nasci è supernis.
- 8. Spiritus, ubi vult, spirat: & vocem ejus audis, sed nescis, unde veniat, & quo vadat: sic est omnis, qui natus est è Spiritu.
- 9. Respondit Nicodemus, & dixit ei: Quomodo possunt hæc fieri?
- 10. Respondit Jesus, & dixit ei: Tu es ille Magister Israël, & hæc ignoras?
- 11. Amen, amen; dico tibi, quod scimus, loquimur, & quod vidimus, testamur: & testimonium nostrum non accipitis?
- 12. Si terrena dixi vobis, & non credidistis: quomodo, si dixerò vobis celestia, credituri sitis.
- 13. Et nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit è caelo, filius hominis, qui est in caelo.
- 14. Et sicut Moses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis.
- 15. Ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.
- 16. Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.
- 17. Non enim misit Deus filium suum in mundum, ut condemnaret mundum, sed ut servetur mundus per eum.
- 18. Qui credit in eum, non condemnatur, qui verò non credit, jam condemnatus est, quia non credidit in nomen unigeniti filii Dei.
- 19. Hæc est autem condemnatio, quod lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem: erant enim opera eorum mala.
- 20. Omnis enim, qui male agit, odit lucem: nec venit ad lucem, ne arguantur opera ipsius.
- 21. Qui autem operatur veritatem, venit ad lucem, ut conspicua fiant facta ipsius, quod per Deum sunt facta.

Periocha hujus Historia.

Insignis est hæc historia, & peculiari observatione digna, propterea, quia Christus in Pentecoste, quæ tempore ministerii sui prima fuit, summaria capita novæ Legis & illius verbi, quod in quarta post Pentecoste ex Zion & ex Jerusalem exire debebat, in colloquio illo cum Nicodemus complexus est, & explicavit. Deinde etiam ideo, quia continet repetitionem & summam illarum concionum, quas primas Dominator Messias habuit, quando in festo Paschatis ad templum suum venit. Id quod inde colligitur: quando enim in colloquio dicit, (si terrena dixi vobis, & non credidistis,) refert se hac quasi repetitione ad priores suas conciones in festo Paschatis habitas, utrumque enim verbum habet significationem Præteriti, εἶπον & ὁπίσθεντες. Sic ut ergo jucundum est tenere, quæ prima fuerit concio post lapsum Adami, item, quæ fuerint capita primæ concionis, quam Apostoli accepto Spiritu sancto habuerunt: Ita pias mentes delectat, quando colligere possunt, quæ fuerint sum-

ma & quæ capita doctrinæ, quando Christus in suo ministerio primum publicè Hierosolymis in templo, in primo festo Paschatis & Pentecostes, cœpit docere. Est autem in principio hujus historiæ observandum, quàm patienter filius Dei toleret fidem quantumvis infirmam, & quàm clementer illam foveat: modò sit docilis, quærat institui, petat augeri & confirmari. Primò enim Nicodemus unus ex illis fuit, quorum fidem Christo non satis probatam fuisse, Joannes 2. v. 24. dixit. Et in hac ipsa historia dicit: (dixi vobis, & non credidistis. Item: Testimonium nostrum non accipitis.) Secundò, Nicodemus in præfatione concionum quidem quasi benevolentiam inde captare, quòd exponit, quàm præclaram & magnificam opinionem, sicut ipsi videbatur, de Jesu concepisset: sed in ea Jesum nec Messiam, nec filium Dei agnoscit, sed tantum pro Doctore singulari & Propheta aliquo eximio habet. (Rabbi, inquit, scimus,) hoc est, non vulgus tantum, sed

Harm. Tom. I.



sed & nos Pharisei stupendis miraculis tuis convicti, persuasi sumus, credere & fateri cogimur, te esse Doctorem, qui non ex seipso docendi munus arripuerit, sicut Teudas & Judas Galilaeus, nec quales Doctores nos Pharisei sumus: sed qui extraordinaria & immediata vocatione à Deo ad officium docendi sis missus. Deus enim miraculis ostendit, se virtute sua tibi in ministerio tuo adesse. Sensit igitur Nicodemus, Christum miracula illa edere non propria virtute. Sensit etiam, Deum adesse Christo, non hypostatica unione: sed sicut Prophetarum ministerio adfuit. Longè igitur à vera agnitione Christi Nicodemus adhuc abfuit. Quòd verò dicit: (*Nemo potest signa, quae tu facis, facere.*) Distinguit inter falsa miracula, ubi vel sensus ludificantur, vel conjunctio fit occultarum causarum naturalium, ad confirmandam falsam doctrinam, Exod. 7. v. 13. Deut. 13. v. 1. 2. Thess. 2. v. 9. Apoc. 13, 13. Matth. 24. v. 24. Et inter vera miracula, quae omnem potestatem rerum naturalium excedunt, ad confirmandam doctrinam caelestem, 3. Reg. 17. v. 24. in hoc cognovi, quod vir Dei sis, & verbum Domini in ore tuo verum sit. Tertio accedit, quòd non interdum & aperte audeo colloqui: sed praetimore noctu ad eum venit. Valdè igitur languida & misera est fidei infirmitas in hoc Nicodemo, & in mente & in corde, quam Christus tamen non rejicit: sed quia quaerit, ut ex auditu verbi rectius & plenius instituat, augeatur & confirmetur, placidè illam fovendam & provehendam suscipit. Et quis inde in Nicodemo hoc secutus sit profectus, historiae postea ostendit, Joh. 7. v. 50. & 19. v. 39. Hoc igitur est pulcherrimum exemplum ejus, quod Isaias de Messia inquit: Non contendet, non clamabit, linum fumigans non extinguet, cap. 42. v. 2.

Qua autem causa timiditatis fuerit, quòd Nicodemus ad illum Doctorem, quem credebatur à Deo missum esse, non ausus fuerit aperte accedere, Joannes exponit: cum inquit, fuisse Phariseum & Principem Judaeorum, & de Phariseis qui fuerint, antea in historia Magorum diximus. *Ἀρχοντες* verò Synagogae nominantur, Exod. 34. vers. 31. & Josu. 9. v. 15. Fuit autem aliquando illa appellatio Magistratus politici, ut 4. Reg. 10. vers. 5. conjunguntur *ἄρχοντες* & Presbyteri, Gen. 12. v. 15. *ἄρχοντες* Pharaonis, 34. v. 2. *ἄρχων* terrae. Porro etiam inter Levitas & Sacerdotes vocantur *ἄρχοντες*, 1. Par. 15. vers. 5. 6. 7. 8. 9. Fuit autem Nicodemus non politicus Princeps. Christus enim inquit, (*Es tu Magister in Israël.*) Sed quia vocatur Phariseus & Princeps: fuit ergo sicut alius quidam, Luc. 14. vers. 1. describitur *ἄρχων τῶν φαρισαίων*. Et Joh. 7. vers. 48. Qui in concilio congregati sunt pontifices & Pharisei, invocantur *ἄρχοντες*. Actorum etiam 23. vers. 5. Paulus Pontificem vocat *ἄρχοντα Ἰλαῖ*. Illi igitur, qui inter Phariseos summi erant, penes quos erat potestas judicandi in negotiis religionis, excommunicandi, & jus prehensionis. Joh. 7. v. 48. & 12. v. 42. dicebantur *ἄρχοντες*. Et in aliis civitatibus vocabantur *ἀρχισυναγωγοί*. Qui verò Hierosolymis erant, vocabantur *ἄρχοντες* populi, sive Judaeorum. Actor. 23. vers. 5. Joh. 3. vers. 1. Illorum enim Jurisdictio latius

super totum Iudaeorum populum patebat. Et talis fuit Nicodemus. Monet autem hac descriptio personae, Deum ex omnibus ordinibus aliquos ad regnum suum vocare, sapientes & insipientes, potentes & infirmos: ut adimatur ipsis praetextus ille, de quo inquit, Joh. 7. v. 48. Nunquid ex Principibus aut ex Phariseis aliquis credidit in eum? Quomodo verò sapientia Pharisaismi non adjuvet, sed magis impediatur, fidem Evangelii & veram Christi agnitionem, historia haec docet: quae simul etiam ostendit dignitates hujus seculi, plerumque suo splendore animos perfringere & irretitos tenere, quò minus facile, promtè, expeditè & apertè ad Christum accedant, etiam qui initia fidei acceperunt. Causa enim, quare Nicodemus noctu accesserit, exponitur Joh. 12. v. 42. Multi ex Principibus crediderunt: sed propter Phariseos non confitebantur, ne ex Synagoga ejicerentur. Scholastica historia addit aliam causam: quòd timuerit, ne celebritati nominis sui aliquid decederet, si is, qui princeps erat inter Doctores, à Iesu Nazarenò aliquid discere sustineret. Aut certe puduit ipsum censerì discipulum Iesu Nazareni. Magis igitur amavit Nicodemus gloriam hominum, quàm gloriam Dei, Joh. 12. vers. 43. & puduit ipsum Christi & sermonum ejus coram hominibus, Luc. 9. vers. 20. Hac ideo descripta sunt, ut consideretur, in quanta infirmitate fidei Nicodemus accesserit: utque e contra bonitas, & *φιλανθρωπία* Christi cogitetur, qui talem discipulum, cum docilem se profiteretur, non averfatur, non repellit, non abjicit, sed placidè ipsum plenius & rectius informandum suscipit, & ad illa fidei & confessionis incrementa deducit, quae Joh. 7. vers. 50. & 19. vers. 39. describuntur.

Summa autem doctrinae Evangelii in hac concione Christi ita comprehenditur, & quidem his verbis describitur: Quomodo id, quod ex carne natum est, & caro est, quae regnum Dei non potest possidere, 1. Corinth. 15. vers. 50. ita renasci debeat, ut regnum Dei videre & ingredi possit: sive, quomodo mundus, qui in tenebris est, veniens ad lucem illam, quae in mundum venit, hoc est, credens in nomen unigeniti filii Dei, non pereat, sed habeat vitam aeternam: non judicetur, sed salvetur per ipsum. Et hoc mysterium illud, quod filius, qui in sinu Patris est, nobis enarravit, Joh. 1. v. 18. Et observanda est ratio methodi, qua Christus in proponenda & explicanda caelesti hac doctrina usus est, insigni hac concione. Initium enim facit à doctrina arguente totum mundum peccati, ut omne os obstruatur, & universus mundus reus fiat Deo, Rom. 3. Lux enim veniens in mundum arguit non tantum externa vitiosa opera, sed monstrat fontem & radicem peccatorum, totam scilicet naturam humanam, per lapsum Adami factam esse carnem, hoc est, ita corruptam & depravatam, ut non possit legi DEI perfectam obedientiam praestare. Atque ideo neminem per se, suis viribus & virtutibus posse ad regnum DEI pervenire. Atque inde Christus initium fecit, traditurus justificationem Evangelicam, ut primo con-

conscientias convincat, omnibus hominibus, qui perire nolunt, necessariam esse gratuitam illam justificationem fidei, quæ in Evangelio traditur. Illam enim solam & unicam esse viam perveniendi ad regnum Dei, sine qua & extra quam omnibus hominibus in iudicio Dei extra regnum cælorum sit pereundum, ideò, quia (*quod natum est ex carne, caro est: unde, nemo potest in cælum ascendere.*) Hæc ratio methodi ideò, necessaria est: aliàs enim iustitia fidei contemnitur, non curatur, non quæritur, non apprehenditur. Deinde doctrinam quæ Evangelii propria est, de iustitia fidei, ita in hac concione Christus tradit & explicat: Deum ex immensa misericordia misisse filium in mundum, & filium in carnatum, ut serpentem exaltatum, hoc est, obedientiam & passionem suam acquisivisse æternam iustitiam coram Deo: quam Spiritus sanctus verbo Evangelii & Baptismo offerat, quæ fide accipiatur, & finis sit, ut regnum Dei ingrediamur, non pereamus, sed habeamus vitam æternam. Tertio addit doctrinam de fructibus justificationis: quòd scilicet post reconciliationem natura etiam renovetur, ut veritatem facere, & talia opera, quæ in Deo facta sint, præstare possimus. Hæc sunt tria illa principalia capita huius concionis, ad quæ si verba textus referantur, & accommodentur, plana erunt omnia, quæ aliàs & obscura esse, & non bene coherere videntur, sed ordine verba textus explicabimus, ut, quomodo doctrina illa inde sumenda & extruenda sit, planum fiat.

Iesus igitur respondit Nicodemo & dixit: (*Amen, amen, dico tibi, nisi quis renatus, &c.*) Quia verò hæc responsio Christi videtur impertinenter se habere ad verba Nicodemi præcedentia, variè hæc ad præcedentia accommodantur. Theophyl. ita connectit: Tu, Nicodeme, de me opinio carnalis tantum & humana est, quia nondum renatus sed adhuc carnalis es. Nisi enim quis renatus fuerit, non potest regnum Dei videre, hoc est, non potest me rectè agnoscere, quòd sim unigenitus filius Dei. Cyrillus hanc responsionem Christi ita accommodat ad verba Nicodemi præcedentia: Tu tantum admiraris signa quæ facio, & existimas, satis esse ad salutem, quòd statuas, me esse doctorem à Deo missum: sed dico tibi, notitiam non sufficere, sed si quis vult in regnum Dei introire, ipsi opus est, ut renascatur ex aqua & Spiritu. Hæc vera sanè sunt. Sed simplicius est, si intelligatur Evangelista brevitas studio in responsione Christi insinuas, quæ fuerit interrogatio Nicodemi: quæ scilicet esset ratio consequendi vitam æternam, ascendendi in cælum, seu perveniendi in regnum illud Dei, quòd Baptista & Christus tunc prædicabant, vel, ut intelligatur, Christus, ut fidem in Nicodemo majorem accenderet, noluisse expectare, donec ipse, quòd vellet, exponeret, sed ad cogitata animi ipsius, sive ad ea, quæ menteolvebat, voluisse Christum præveniendò respondere: ut inde Nicodemus intelligeret, ipsum esse scrutatorem cordium. Cumque antea in festo Paschæ Nicodemus Christum docentem audivisset, ex responsione hac Christi colligitur, quæ potissimum capita in doctrina Christi Ni-

codemi animum turbarent & offenderint, scilicet: 1. naturam humanam ita esse depravatam, ut nemo per se possit ad regnum Dei pervenire. 2. omnibus hominibus, qui nolint perire, sed vitam æternam habere, opus esse, ut regenerentur ad spem vitæ æternæ propter Christum, 1. Petr. 1. v. 3. hoc est, ut fide in Christum gratis salventur. Et sanè hæc sunt duo illa capita, quæ omnibus temporibus rationem humanam offendunt. Nicodemus verò non facit ut reliqui Pharisei, qui ideò totam doctrinam Christi abjiciunt, & blasphemant: sed cum capita illa non satis intelligat, Christum ipsum accedit, ut ipse sibi ea, quæ assequi non poterat, plenius & planius explicet & declaret. Et hæc est vera infirmæ fidei docilitas, quæ Christo in Nicodemo probatur, quam imitari discamus. Ita valde multa monet generalis hæc consideratio, quòd Christus Nicodemum, priusquam, quid vellet, exposuisset, tali responso præveniat & excipiat.

Magna autem asseveratione inquit, (*Amen, amen, dico tibi.*) Et quia phrasia illa sæpius occurrat, illam hoc loco semel explicabimus. Ebraicè igitur אָמֵן, & Chaldaicè אַמֵּן, deducitur à verbo אָמַן, unde verbum credere seu fidere. Et nomen fidei ac veritatis in Ebraismo appellationem habet. Magnam autem & illustrem emphasin habet particula (*Amen*), quæ propterea etiam in aliis linguis retenta fuit. Et quia hac ipsa particula natura fidei justificantis in applicatione promissionis & in invocatione pulcherrimè illustratur, diligenter consideranda est ejus significatio, quæ ut rectius explicari possit, exempla distinguemus. Ita enim potissimum usurpatur particula Amen: 1. in imprecationibus, Deut. 27. v. 15. 16. &c. Maledictus qui, &c. Et dicat populus, Amen. Num. 5. v. 22. Si non polluisti torum &c. Si verò polluisti, det Deus, &c. Et respondebit mulier, Amen, Amen. Ac Rabbi David inquit, dictum hoc esse per modum orationis, vel per modum receptionis, qua in se & super se recipiebant illas imprecationes, si transgressi essent. 2. Usurpatur etiam ut plurimum in oratione seu invocatione, item in benedictione & gratiarum actione, 1. Cor. 14. 16. quando preces & gratiarum actiones recitantur. Ecclesia responder Amen. Psal. 41. v. 14. Benedictus Dominus Deus, Amen & Amen. Nehem. 8. 6. Esdra benedixit Dominum, & omnis populus cum elevatione manuum respondit, Amen, Amen. Tobia 9. v. 12. ad benedictionem nuptialem respondent, Amen. Apocalyp. 7. vers. 12. adoraverunt eum dicentes, Amen, benedictio, gloria, honor, sapientia, gratiarum actio. Atque ita est optantis particula: quòd scilicet fides vero cordis desiderio optat, & certa spe expectat, ut fiant, & perficiantur ea, quæ orantes petimus. Ita in historia Samosateni apud Eusebium, & apud Ambrosium libro quarto de Sacramentis, quando in actione cœnæ dominicæ singulis exhibetur panis DOMINI, his verbis: Accipe, comede, hoc est corpus Christi, pro te traditum in remissionem peccatorum. Ibi singuli communicantes respondent, Amen. Et 3. Regum. 1. vers. 36. additur particula

ticulæ Amen illustris explicatio. Cum enim David mandasset, ut Solomon ungeretur in successorem Davidis, additâ fausta illa acclamatione, Vivat rex Solomon. Respondet Hananias dicens: Amen, sic dicat Dominus Deus Regis. Munsterus dicit, esse imperativum Passivum, primæ conjugationis pro אָמֵן, ut sensus sit, verum hoc fiat, ratificetur, confirmetur hoc à Domino. Chaldaicō lexicon, dicit esse Futurum, resecta prima litera אָמֵן, confirmetur, stabiliatur hoc. Græci habitâ ratione radicis pulcherrimè reddiderunt locum, 3. Reg. 1. v. 36. γένοιτο ἡ χάρις τοῦ ἰσημα τῶ κυρίου μετὰ τὸ βασιλεύει; Ita fiat, ratum habeat & faciat Dominus Deus verbum regis. 3. Usurpatur etiam particula Amen, quando fides propositam promissionem accipit. Ita 1. Paral. 16, 36. recitatis promissionibus divinis subiungitur: Et dicat omnis populus: Amen. Jerem. 11. v. 5. ubi Deus repetit promissionem, Ero vobis in Deum, & eritis mihi in populum, ut suscitem juramentum, &c. Et respondi, inquit Jeremias, Amen, Domine. Et Jerem. 28, 6. cum Hananias fausta vaticinaretur, dicit Jeremias, Amen: Et subiungit prolixam explicationem particulæ Amen: Sic faciat dominus, confirmet verba tua, ut ita fiat, sicut vaticinatus es. Et Luc. 1, 38. Maria significationem particulæ Amen pulchre reddidit: Fiat mihi secundum verbum tuum. Atque hæ significationes omnes in idem fermè recidunt: plenioris tamen declarationis gratiâ ita distribuere volui, ut proprietates fidei in applicatione promissionis & invocatione, ex usu particulæ Amen, eò rectius considerari possent. 4. verò usurpatur Amen pro particula affirmandi & asseverandi, ut 2. Cor. 1. v. 20. promissiones Dei non sunt ita & non (quasi scilicet in illis aliud verbis dicatur, aliud corde cogitur: vel verbis quidem promittatur, re ipsa autem non præstetur,) sed in Christo sunt, Næ & Amen: ubi Ebraicum Amen exponitur per Græcam affirmandi & asseverandi particulam αἰνῶν, Isa. 65, 16. Qui benedixerit sibi in terra, benedicit sibi in Deo, Amen: Et qui iuraverit, iurabit in Deo Amen. Ubi sicut Græcum αἰνῶν, ita & Amen, est particula jurandi, quando aliquid quasi interposito juramento affirmatur, & asseveratur. Atque hæc postrema significatio huic loco & reliquis, ubi Christus inquit: Amen, dico vobis, &c. convenit. Et quia radix אָמֵן cum derivatis significationem habet veritatis, certitudinis, firmitatis constantiæ, &c. Ergo si ad personam dicentis referatur, sensus erit: non obiter, temerè, aut leviter dico, sed verè, certò, seriò & constanter, tanquam interposito juramento affirmo, & assevero, quod dico. Aut si ad id, quod dicitur, referatur, sensus erit: Quod dico, non incerta cogitatio, aut dubia opinio est, sed verum, certum, firmum & stabile est, quod dico: quod nec mutatur nec retractatur; sed certò ita decretum est in voluntate divina, & re ipsa ita implebitur. Geminatio verò (Amen amen) intendit asseverationem, ac superlativo nostro, quo Ebræi carent, exprimi potest: Certissimum & firmissimum est, quod dico. Porro particula illa Amen in Græca Veteris Testamenti versione aliquando redditur per verbum γένοιτο, Deut. 27, 15. & ult. Psal. 41, 14,

3. Reg. 1. v. 36. Num. 5, 22. Aliquando redditur per Adverbium ἀληθῶς, Jer. 28. v. 6. Aliquando ipsa vox Ebraica relinquitur, 1. Par. 16, 36. Dicat populus, Amen. Ita Jer. 11. v. 5. Neh. 8, 6. Tob. 9. v. 12. particula Amen in Græco etiam sermone usurpatur. Atque ita etiam in Novo Testamento retenta fuit, ubi alicubi interpretatio ponitur. Quod enim de vidua Marc. 12. v. 43. dicitur, Amen, dico, illud Luc. 21, 3. ita explicatur: ἀληθῶς, verè dico vobis. Hæc de particula Amen semel hoc loco annotare volui, ne subinde, quoties ea occurreret, repetenda esset explicatio.

Magna igitur asseveratione Christus dicit: (Nisi quis venatus fuerit, &c.) Ac singula verba expendenda sunt. Non de quibusdam tantum loquitur, quasi tantum publicanis, meretricibus, latronibus, &c. opus sit regeneratione: sed concilio est universalis, (Nisi quis &c.) Et quidem ipsum Nicodemum, cum quo Christus loquitur, complectitur, qui ex Pharisæis erat, qui non erant contentores religionis, nec vitæ profligata, sed habebant zelum Legis, Act. 26. v. 5. Gal. 1. v. 13. & secundum iustitiam in Lege erant irreprehensibiles, Phil. 3, 6. Utitur autem verbo Nascendi seu Generandi, ut ostendat, se peccata arguere, non opera tantum mala, sed ipsam naturam vitiatam, quam nascendo accepimus. Atque eo ipso ostendit causam, cur nemo suis vel qualitatibus, vel virtutibus, vel operibus possit in regnum Dei pervenire: quia scilicet ipsa natura ita depravata sit, ut regeneranda sit. Et vocabulo Regenerationis ostendit, naturam nostram peccato non tantum fauciatam, læsam aut infirmam esse, ut vel particulari sanatione & auxilio juvari & restitui, assuefactione corrigi, habitibus excoli possit, sicut Philosophi de suis virtutibus disputant: sed totam ita esse corruptam & depravatam, ut non corrigenda aut resarcienda, sed tota regeneranda sit. Quo ipso etiam vocabulo ostendit, instauracionem naturæ non nostris viribus posse fieri: & sicut ad primam generationem, ita etiam ad ipsam regenerationem, nos ex nobis nihil conferre. Utitur autem adverbio ἀνωθεν, (Nisi quis natus fuerit ἀνωθεν:) In quo totius sententiæ vis sita est. Potest autem, ἀνωθεν, significare, & denuò seu iterum, & è supernis. Hic interpretes in versionibus variant: quòd reddunt, vel renasci denuò, vel è supernis regenerari. Nos verò in exemplis considerabimus, quomodo ex vocabuli significatione, si utraque cōiungatur, ipsa sententia illustrari possit. Ita autem usurpatur ἀνωθεν. Demosthen. κατὰ μέδαν, inquit, ἀνωθεν ἀρχομεναι, non partem aliquã narrare, sed totum negotium à prima origine repetere, & integrum recitare. Plutarchus pag. 88. Alcibiadis genus ἀνωθεν videtur habere Euristaten, hoc est, si integra series Genealogiæ Alcibiadis consideretur, prima origo videtur hæc esse, &c. Ita usurpatur Luc. 1, 30. omnia accuratè ἀνωθεν persecutus sum, hoc est, non particulatim, sed integram historiam ab ipsis primis initiis, Gal. 4. v. 9. πάλιν ἀνωθεν servire vultis elementis, hoc est, qui ab elementis religionis ad solidam in Christo sapientiam pervenistis, nunc rursus vultis ad prima elementorum initia redire, & inde rursus incipere. Suidas tale recitat exemplum: Vide-

Videmus res *ἀνωθεν* φρονιματώδεις οἰονεῖς prospicere de victu illis, à quibus generati sunt, hoc est, volucrum generi à primis naturæ initiis hoc inditum est, ut nutritoribus gratiam referant. Et hanc significationem plerique interpretes sequuntur, qui reddunt (*denuo nasci.*) Et si fontes hujus significationis rectè considerentur, sensus erit: Requiritur mutationem aliquam non in accidentibus tantum naturæ humanæ, nec in parte aliqua substantiæ correctione aut reformatione opus esse: sed de integro, ab ipsis primis humanæ naturæ generationis initiis refigendum esse. *ἀνωθεν* igitur ostendit, ipsam originem in vitio esse, sicut Ambrosius loquitur: & pravitate humanæ naturæ non contrahi consuetudine, nec per actiones pravas, tanquam habitum postea infundi, sed ipsa generatione contrahi. Et vocat non mutationem, sed regenerationem: ut ostendat, de ipsa substantia depravata se loqui. Hæc significatio vocabuli, *ἀνωθεν*, diligenter expendenda est: multa enim monet. Et quod Nicodemus adverbium *ἀνωθεν*, in hac significatione acceperit, responsio ejus indicat: inquit enim, (*Quomodo homo potest deυτερον, iterum nasci?*) Secundo ipsi Apostoli hanc locutionem Christi reddiderunt compositione *ἀνα* & *παλιν*, 1. Pet. 1, 3. *ἀναγεννησας* nos in spem vivam. Item *ἀναγεννημένοι* ex femine incorruptibili, Paulus Tit. 3, v. 5. vocat *παλιγγενεσίαν*, regenerationem. Tertio Syrus etiam *ἀνωθεν* reddidit *שׁוּבָרָא*, à capite, ab initio, de novo renasci.

Et quia collatio vocabulorum utilis est, ut ex veris fontibus res ipsa possint illustrari, consideranda est & altera significatio: Græci enim, Chrysostomus, Cyrillus & Theophylactus hoc considerant: quod Joannes alibi *ἀνωθεν* usurpat pro eo, quod est de supernis, divinitus, cœlitus. Ut in eodem capite v. 3. Qui est supernis venit, super omnes est. c. 10, v. 11. Non haberes potestatem, nisi tibi data esset *ἀνωθεν*. Et hæc significatio etiam cum re ipsa pulchrè convenit. Non enim loquitur de terrena aut carnali nativitate, sed de spirituali & cœlesti. Cœlitus enim per Spiritum S. confertur adoptio & reliqua dona regenerationis. Et idem est, quod Joh. c. 1, v. 13. dicit: Qui ex Deo nati sunt, filii Dei sunt. Ita & Jacobus loquitur c. 1, v. 17. Omne donum bonum & perfectum, *ἀνωθεν* est. c. 3, v. 17. *ἡ ἀνωθεν σοφία*, opponitur terrene & carnali sapientiæ. Et c. 1, v. 18. videtur quasi explicasse hanc Christi sententiam: Cum enim dixisset, omnis donatio bona est supernis descendit, (mox addit) voluntariè generavit nos verbo veritatis, ut simus primitiæ quadam creaturarum ipsius. Hæc verba non obscure alludunt ad Christi sententiam. Et propter hæc testimonia non ausim Erasmi interpretationem rejicere, qui reddidit (*de supernis.*) Si ergo utraq; interpretatio conjungatur, plena erit sententia: Nisi quis denuo natus fuerit non carnali nativitate, sed de supernis, &c.

Quod verò Christus dicit, (*Non potest videre regnum Dei,*) phrasis est, sicut Scriptura aliàs dicit, videre corruptionem, Psal. 16, 10. Videre mortem, Joh. 8, v. 51. Ut idem sit cum eo, quod in repetitione hujus sententiæ dicitur, (*Non potest introire in regnum Dei,*) hoc est, non potest particeps

esse vitæ aternæ. Simul verò considerandum est & hoc, quod Joannes solet verbum videndi usurpare pro agnitione, ut c. 14, v. 17. Mundus Spiritum veritatis non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum. Ut sensus etiam esse possit: Caro non tantum non potest ad regnum Dei pervenire: sed ita depravata est, ut, quando regnum Dei proponitur & offertur, caro illud non possit videre, hoc est, agnoscere, nisi desuper Spiritu illuminetur.

Nicodemus autem, cum nullam aliam nativitatem præter carnalem intelligeret, quæ reiterari non potest, respondit: (*Quomodo potest homo nasci, cum sit senex?*) Potuisset in genere loqui: Est enim omni ætati impossibile, corporaliter denuo nasci, sive sit puer sive senex: sed sumit ætatem senectutis, ut ab ætate senili, quæ nascenti contraria & morti proxima est, major videatur absurditas. Præcipuè verò senem nominat, quia de se potissimum loquitur, quasi dicat: Ego sum senex, & cupio in regnum Dei ingredi; quomodo igitur fieri potest, ut senex ego de novo nascar? Permittit autem Christus Nicodemum ita hallucinari, ut ita Pharisaicam scientiæ præsumptionem in ipso reprimeret, & paulatim ipsum à cogitationibus carnalibus ad intelligentiam spirituales deduceret.

Sed Christus mox id, quod de renascentia in genere & obscurius dixerat, plenius declarat: (*Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu.*) Ostendit igitur, non ex utero matris, sed ex aqua & Spiritu, nativitate non carnali sed spirituali, nobis denuo renascendum esse. Et sicut carnali nativitate ad hanc vitam & in hunc mundum nati sumus, Joh. 16, v. 21. Ita inquit: Si in regnum Dei introire vultis, spirituali nativitate vobis renascendum est ad vitam aternam. Ut autem doctrina de regeneratione eò rectius & explicatius intelligi possit, distinctè & ordine consideretur, quid regeneratio seu renascentia complectatur: 1. enim, quia carnalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus, 1. Cor. 2, v. 14. & nemo venit ad Christum, nisi Pater traxerit eum, Joh. 6, 44. Regeneratio seu renascentia hoc complectitur: quod Spiritus S. tenebras nostras, hoc est, mentem, voluntatem & cor, collatis novis spiritualibus donis & facultatibus, illuminat, ut regnum Dei possim⁹ videre, hoc est, fide illud intelligere, agnoscere, assentiri, desiderare, querere, amplecti, & accipere. 2. Quia regeneratio ex filiis iræ facit filios Dei, complectitur itaque & confert gratis, propter Christum, remissionem peccatorum, justificationem, adoptionem, & hereditatem vitæ aternæ. Ita enim ad Titum 3, v. 5. regeneratio explicatur. 3. Complectitur etiam fructus hujus regenerationis. Paulus ad Titum 3, 5. peculiari & distincto vocabulo vocat renovationem, ut scilicet efficiamur nova creatura, creati in Christo ad bona opera, ut novum hominem induamus, qui ad imaginem Dei reformatur, ut innovitate vitæ ambulemus. Hæc distinctè consideranda sunt. Quando enim queritur, quomodo per regenerationem consequamur vitam aternam? illud certè nostræ novitati, quæ adoptionem non præcedit, sed sequitur, & imperfecta, atque immunda est, non tribuendum,

dum, sed gratiæ seu misericordiæ Dei propter Christum, Tit. 3. v. 5. Et in multorum explicationibus in hoc loco illa confunduntur. Multi etiam in hoc loco de regeneratione seu renascencia loquentes, tantum de naturæ renovatione & de novitate vitæ disputant, sine distinctione, & quod in regeneratione præcipuum est, de gratuita adoptione, ferme prætereunt. Ideo ordine & distinctè ea, quæ sub regeneratione comprehenduntur, exponere volui, ut accommodatio textus ad doctrinam eo planior sit. Dicit autem renascendum esse (*ex aqua & Spiritu.*) Johannes enim baptizabat tunc aqua, & prædixerat, Christum baptizaturum Spiritu sancto. Christus igitur conjungens aquam & Spiritum, perfectum ita Novi Testamenti Baptisma constituit in remissionem peccatorum. Et quia Christus mox incoaturus erat ceremoniam Baptismi per discipulos, sicut in Evangelista sequetur: ideo prius quam Baptismum per discipulos incoët, præmittit doctrinam de regeneratione ex aqua & Spiritu. Christus igitur regenerandos & salvandos, non Enthusiasticis speculationibus suspendit, sed ad externum ministerium verbi & Sacramentorum, per quod Spiritus sanctus efficax est, dedit. Et quia Baptismus est lavacrum aquæ in verbo, Eph. 5, 26. Aquæ igitur appellatione Christus totum ministerium Novi Testamenti complectitur: verbum scilicet & Sacramenta. Sicut & Baptiste ministerium ita describitur, prædicans Baptismum penitentiae in remissionem peccatorum. Et regeneratio expressè tribuitur & verbo Evangelii, 1. Pet. 1, 23. & lavacro aquæ, Tit. 3, 5. Ne verò elemento aquæ, vel operi operato virtus regenerandi tribuatur, addit Christus Spiritum sanctum. Conjungit autem (*Aquam & Spiritum.*) Verbum enim & Sacramenta sunt externa media seu organa, per quæ Spiritus sanctus vult efficax esse: quod ideo ministerium Spiritus appellatur, 2. Cor. 3. v. 8. Quare autem Christus appellat regenerationem ex aqua & Spiritu, Petrus explicare videtur, 1. Pet. 1. v. 23. In prima nativitate *ἐκ σαρκὸς ὀφθαλμῶν*, ex corrupto, vitioso, & transitorio semine nati sumus filii peccati, iræ, & damnationis, ad hanc temporalem vitam: In regeneratione verò ex semine incorruptibili renascimur, ex verbo Dei viventis, quod in æternum manet, & ex Spiritu. Atque inde ex aqua & Spiritu regeneramur, ut simus filii Dei & vitæ æternæ. Et quia Christus universaliter loquitur: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non poterit ingredi regnum Dei: Ergo infantes etiam regenerandi sunt ex aqua & Spiritu. Christus enim pronunciat, talium esse regnum cælorum. Considerandum autem & hoc, quomodo illi, qui nostro tempore efficacia Sacramentorum iniquiores sunt, varias quarant rimas, ut elabantur, ne, de Baptismo Christum locutum esse, intelligere cogantur, quando inquit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, &c. Clarissima igitur & simplicissima verba in tropos transformant: per aquam intelligunt mortificationem veteris hominis; per Spiritum intelligunt renovationem naturæ. Quidam ita philosophantur: Quia hominis corpus est terrea moles, quod crassius est elementum, Christum igitur oppo-

nere aquam & aërem, liquida & pura elementa, ut per metaphoras aquæ & aëris nos hortentur ad novitatem vitæ. Tanta est libido à simplicitate verborum discedendi, ut scilicet in clarissima luce verbi Dei cæcutiamus, & contra mentem Christi in monstrosa mortificatione & renovatione rationem consequendæ vitæ æternæ constituamus. Hæc enim est quaestio, hic scopus in hac concione Christi, qua ratione vitam æternam consequi possimus. Et hoc diligenter notetur, ut ad hanc quaestionem explicatio textus rectè accommodetur. Quidam textum ita elidunt, ut copula (&) per *ἐπισημῶν* exponatur, hoc modo: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, hoc est, ex Spiritu: quia metaphorice in Prophetis soler aqua nomine de signari. Sed manifestum est, hæc interpretatione verba à genuina simplicitate violenter torqueri. Duo autem prætendunt: primum quod solus Spiritus sanctus auctor & causa efficiens sit regenerationis, quæ non sit elemento tribuenda. Quod verum sanè est. Sed quia non Enthusiastica ratione *καμπεδῶν*, sed per ordinaria media Verbi & Sacramentorum regenerationem operatur, ideo hoc modo conjunguntur Aqua & Spiritus, sicut 1. Pet. 1. v. 23. & Jac. 1. v. 18. Verbum & Spiritus. Alterum est, quod prætendunt, in casu necessitatis salutem non alligatam esse Sacramentis. Sed Christum hoc loco non de extraordinariis casibus, sed de ordinaria institutione loquitur. Sicut de circumcissione, Gen. 17. v. 14. ubi nihilominus casus necessitatis exceptus intelligitur, Jos. 5. v. 7. Quod verò sententia hæc Christi de ministerio Verbi & Sacramentorum, tanquam organo Spiritus sancti, intelligenda sit, una ratio est, quæ vel sola piis mentibus satisfacere potest & debet: quod scilicet Paulus Baptismum, hoc est, lavacrum aquæ in verbo, vocat lavacrum regenerationis per Spiritum sanctum, Tit. 3, 5. Qua explicatione, quasi intento digito indicat, hunc locum de regeneratione ex Aqua & Spiritu de Baptismo esse intelligendum. Præterea tota Antiquitas semper simplicissimè hæc verba Christi de Baptismo intellexit. Totam verò doctrinam de Sacramentis & de Baptismo hoc loco explicare, non est nostri instituti. Hoc enim ad Locos Communes pertinet: nos verò textum tantum explicare constituimus. Quod autem Christus dicit: (*Non potest introire in regnum.*) ostendit, nos, sicut ex carne nati caro sumus, ante regenerationem & sine Christo esse exsortes à regno Dei, ac Spiritum S. per Verbum & Baptismum hoc agere, ut ex potestate tenebrarum nos transferat in regnum gratiæ Dei, Col. 1, 13. ut in extremo die audire possimus: Venite, benedicti Patris mei, hæreditate possidete regnum gloriæ, Matth. 25, 34. Appellatio enim (*regni Dei*) complectitur liberationem à peccato, diabolo, æterna morte, & damnatione; item remissionem peccatorum, justificationem, adoptionem, hæreditatem vitæ æternæ, justitiam, pacem, & gaudium in Spiritu sancto, Rom. 14, 17. Addit autem Christus, (*Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex Spiritu, Spiritus est.*) Cyrillus hoc loco disputat de creatione & formatione hominis, qui, cum corpore constet & anima, corpus ex parentum carne

tanquam ex traduce formari: Animam verò à Spiritu ex nihilo ad esse produci, & ab ipso ad imaginem Dei reformari, ut divinæ naturæ particeps efficiatur, 2. Pet. 2. v. 4. atq; idè hoc loco dici, Quod natum est ex Spiritu, Spiritus est. Sed Christus non de parte hominis loquitur: totum enim hominem non renatum intelligit, quando nominat carnem: ac Spiritum vocat, totum hominem regeneratum. Ac simplicissimæ explanationes sunt, quæ ex contextu coherencia fumuntur. Non dubium autem est, in hisce verbis contineri *αιτιαλογίαν* præcedentium: ut scilicet ratio reddatur, quare omnibus salvandis necessaria sit regeneratio, quia, quod ex carne natum est, caro est. Appellatione carnis verò hoc loco non intelligenda est carnea moles, vel substantia corporis nostri: sed quia caro spiritui opponitur, intelligendus est totus homo, qualis est prima natiuitate ex parentibus, sicut in corpore & anima, in omnibus potentiis & viribus peccato corruptus, & depravatus est. Ita enim Scriptura totum hominem vocat carnem, destitutum Spiritu, Gen. 6, 3. Isa. 40, 6. Rom. 7, 18. & 8, 1. renatum verò hominem, vocat spiritum, Rom. 8. v. 5. 1. Cor. 6, 17. & sententia obscurior videtur, quia vocabula abstracta pro concretis ponuntur, more Scripturæ. Paulus verò utroque modo loquitur, nominat hominem, jam carnem, jam spiritum: illud verò declarat, cum nominat hominem carnalem & spiritualem, Rom. 7, 14. 1. Cor. 2, 15. Gal. 6, 1. Ita Christus ipse hoc loco monstrat, orationem abstractam resolvendam in concretam, cum inquit: (*Omnis qui natus est ex spiritu, spiritus, hoc est, spiritualis est, & qui natus est ex carne, caro, hoc est, carnalis est.*) Et eadem Antithesis hoc loco est, carnis & spiritus, sicut 1. Cor. 15 v. 46. Paulus opponit imaginem primi Adami terreni & carnalis, & secundi Adami, Christi cœlestis & spiritualis. Undè simplicissimè hic locus explicari & illustrari potest. Adam initiò ad imaginem Dei creatus verè fuit homo spiritualis, & si talis mansisset, tales etiam liberos procreasset. Dona enim illa imaginis Dei in Adamo, tanquam in stipite generis humani deposita erant: Sed quia per lapsum spiritum excussit, & imaginem Dei amisit: factus est igitur caro seu carnalis. Et quia effectus non potest præstantior esse sua causa: ex carne igitur non potest nasci spiritus, sed caro: vel ex natura carnali non nascitur spiritualis, sed carnalis. Caro autem in hac significatione, quando spiritui opponitur, tria hæc complectitur: 1. carentiam iustitiæ originalis, omnes enim carnaliter nati carent gloria Dei. 2. depravationem naturæ. 3. reatum iræ Dei, mortis & damnationis æternæ. Licet enim in externis aliquid facultatum, quæ per se Dei dona, residuum sit in homine: inquinata tamen & polluta sunt & hæc: sicut si in vas foetidum liquor non malus infundatur. Ita ergò Christus ostendit, hominem, qui ex carne natus, caro seu carnalis est, non posse per se regnum Dei introire. Lex enim infirmatur ad carnem, quæ Legi Dei non subijcitur, neq; potest, Rom. 8. v. 3. & quia caro concupiscit aduersus spiritum, Gal. 5, 17. & sensus carnis inimicitia est aduersus Deum, Rom. 8. v. 7. Sequitur ergò reatus, quòd naturâ sumus fi-

lii iræ, Eph. 2, 3. & propterea caro & sanguis regnum Dei, quod cœleste & spirituale est, hereditare non possunt, 1. Cor. 15. v. 50. Et hoc propterea convenit cum eo, quod Christus hoc loco dicit: (*Nisi quis renatus fuerit,*) ut efficiatur spiritus seu spiritualis, (*non potest introire in regnum Dei.*) Quod verò ex carne carnaliter nascitur, etiam si vel centies iterum rursus ingredi posset, non spiritus, sed caro est. Ergò ut spirituales efficiamur, necesse est, ut ex Spiritu renascamur. (*Quod enim ex spiritu nascitur, spiritus est:*) non quòd caro renatorum mutetur in spiritum, sed homo sit spiritualis. Ut autem rectè considerari possit, quomodo in regeneratione spirituali illud fiat, opponuntur tria illa, quæ sub appellatione carnis hoc loco comprehendi diximus: 1. Carentiam. 2. Depravationem. 3. Reatum. In regeneratione enim reatus propter meritum Christi tollitur, & remittitur, ac imputata per fidem iustitia Christi acceptatur, ut filii & hæredes Dei, hoc est, ut cœlestes & spirituales efficiamur. Deinde caro depravata incipit per Spiritum mortificari, & spoliata caro incipit collatis novis spiritualibus donis renovari. Sed & mortificatio & renovatio in hac vita, propter adjacentem peccatum, & imperfecta & impolluta sunt, ut iudicio Dei opponi non possint: sed in altera demùm vita consummata erunt, quæ etiam propterea vocatur *παλιγγενεσία*, regeneratio, Matth. 19. v. 28. Nam & tunc ipsa caro sine peccato ad vitam æternam resuscitabitur. Unde planum est, in qua parte regenerationis fiducia salutis collocanda sit: ita sententia horum verborum simplicissimè potest intelligi, ac manifestum inde est, quàm pulchra ætiologia præcedentis sententiæ de regeneratione sit in his verbis, (*Quod ex carne natum est, &c.*) et quàm multa moneat. Notum autem est, quòd vocabulo carnis aliquando ipsa substantia humanæ naturæ significetur, ita, Verbum caro factum est, Joh. 1. v. 14. particeps factus carnis & sanguinis, Ebr. 2. v. 14. aliquando verò significat ipsam naturam corruptionem & depravationem, quam ex carnali natiuitate contrahimus: ut hoc loco. Quia igitur filius Dei non carnali propagatione, sed ex Spiritu sancto conceptus carnem nostram, per Spiritum sanctum à peccato mundatam & sanctificatam assumpsit, idè non comprehenditur sub hoc dicto: (*Quod ex carne natum est, caro est:*) Sed pertinet ad alteram sententiam: (*Quod ex spiritu natum est, spiritus est.*) Non quòd carnis nostræ substantiam non assumeret: sed quia spiritualis est, 1. Cor. 15. v. 45.

Quod sequitur, (*Ne miretis, quòd dixi tibi, oportet vos nasci denuo.*) Hæc verba quidam præcedentibus annectunt hoc modo: Quia jam andivisti, quare necessaria sit omnibus regeneratio. Nam quod ex carne nascitur, caro est. Non ergò miretis, quòd dixi, oportet vos renasci, causam enim jam intelligis. Hæc sententia bona est: sed usitate verba illa ad sequentia referuntur. Hic enim scrupulus videbatur in Nicodemi animo restare, quòd regenerationem spiritualem credere nondum valebat, quia oculis illa videri, sensibus & ratione, quomodo fiat, comprehendi non potest. Idem enim manet corpus, iisdem cali-

casibus obnoxium, etiam post regenerationem: & anima etiam in renatis non sine peccato est. Christus igitur adducit similitudinem venti, in hanc sententiam: In quotidianis & physicis rebus in hac vita corporali multa sunt & fiunt, in quibus virtutem Dei extare, negare non possumus: & tamen modum ejus sensibus & ratione nostra comprehendere non possumus: nec tamen illam propterea, quia ratio ejus occulta nobis est, negamus. Quam absurdum igitur est in spirituali & cœlesti regno Dei, quod ad vitam æternam pertinet, gratiam & virtutem Dei ex sensuum & rationis comprehensione æstimare vellet: ut nec aliud, nec amplius, quam vel oculis videmus, vel ratione comprehendere possumus, credere velimus. Hæc generalis similitudinis hujus accommodatio & simplex & plana est. Beneficio aëris in hac vita ad auram vitalem quotidie fruimur: & tamen oculis nec aërem nec ventum videmus. Sonum venti audimus, & sentimus, quam facillè ventus moveatur & aura, jam in hanc, mox in contrariam partem, cujus motus & mutationis modum & rationem non comprehendere possumus. Hoc sane dicere possumus, ventum jam ab Ortu Occidentem versus flare, jam ab Austro Boream versus: sed certum & determinatum locum, se primùm incipient ventum, & ubi tandem desistant, scire non possumus, cum sæpe in terra eodem tempore alii sint venti, quam in mari. Et hoc Christus vult, quando dicit: (*Nescis, unde venias, & quò vadat.*) Hæc generalis ratio adductæ similitudinis sufficere potest, ut ejus, quod additur, (*Sic est omnis, qui natus est ex spiritu,*) hic sit sensus: ita fit & in eo, qui ex spiritu nascitur: seu, talis est etiam ratio regenerationis spiritualis, quòd nec oculis videri, nec modum ejus ratione comprehendere possit: tamen secundum Dei verbum credenda est, nec idèò neganda, quia non potest oculis videri, aut ratione comprehendere. Aliàs enim etiam aërem & ventum negare te oporteret. Sed præter generalem hanc accommodationem, quædam etiam similitudinis partes ad spirituales regenerationem accommodari possunt, propterea, quia Christus dicit: (*Sic est omnis, qui natus est ex spiritu.*) Sicut igitur ventus, ubi vult, spirat, ita Spiritus sanctus, non secundum dignitatem & merita: sed quos & quando vult, arcanis suis afflatibus aspirat, dividens dona sua singulis sicut vult, 1. Cor. 12, 4. Et sicut sonum venti audimus, licet ventum non videamus: Item, sicut non visu, sed ex effectu ventum, quem non videmus, agnoscimus: ita regeneratio spiritualis, non sensibus carnis, nec ratione humana, sed ex efficacia spiritus moventis & agentis regeneratos percipitur. Spiritus enim Christi dat testimonium spiritui nostro, Rom. 8, 16. & ex fructibus, spiritus, Galat. 5, 22. præsentia & efficacia ejus cognoscitur. Unde verò motus & afflatus illi spiritus subito sæpe veniant, & ad quem eventum spiritus illos ita agat, ipsi renati sæpe non intelligunt: sicut de vento nescis, unde veniat, aut quò finaliter vadat. Quibus partibus similitudinis & hoc utiliter potest addi. Sicut aëris motus aliquando major, aliquando minor, aliquando nullus sentitur: ita sciunt renati, non emper ex sensu motuum spiritualium de præsen-

tia & efficacia Spiritus sancti statuendum esse. Quidam reliquas etiam venti proprietates ad regenerationem Spiritus accommodant. Sicut ventus movet, impellit, refrigerat, excitat, &c. sed satis est, illa, quæ Christus ipse in hac similitudine notavit, observare. Augustinus hæc omnia intelligit non de vento, sed de persona spiritus: propterea, quòd nec voluntas, nec vox vento propriè tribui potest, ut sensus sit: Sicut ipse Spiritus sanctus, auctor regenerationis, invisibilis & incomprehensibilis est, cujus vox in ministerio verbi auditur, & præsentia ejus effectu ostenditur, talem etiam esse rationem eorum, qui nati sunt ex spiritu. Vera sanè hæc sunt: sed à simplicitate literæ aliquantum discedere videntur. Simplicius itaque est, ut de vento verba hæc intelligantur, sicut Chrysofomus, Cyrillus, & reliqui Græci intelligunt.

Porro ad hæc Nicodemus respondet: (*Quomodo possunt hæc fieri?*) non dicit, hoc, sed in plurali complectitur omnia, de quibus Christus hæcenus disseruit, de naturæ corruptione, de spirituali regeneratione, & de modo incomprehensibili: & dicit, se illa non posse assequi, aut, quomodo fieri & ita se habere possint, non intelligere. Et quia Nicodemus videbatur illo suo supercilio Pharisæico, quòd dicebat, se hæc non intelligere, non exiguum præjudicium contra doctrinam Christi afferre. Si enim vera essent, certè tantis doctor in Israël ea non ignoraret. Christus igitur, nolentem se magisterio spiritus humiliter subdere: sed supercilium Pharisæicum opponentem, & subindè repetentem suum (*Quomodo,*) durioribus verbis excipit, ut ruditatem suam in rebus spiritualibus discat agnoscere, & rationem suam captivare in obsequium Christi, 2. Cor. 10, v. 5. Ac præjudicium illud prorsus invertit, & simul ostendit, Pharisæos, cum aliis ociosis questionibus & disputationibus occupati essent, ea, quæ in doctrina Ecclesiæ præcipua sunt, suis traditionibus obscurasse, sepeliisse, & verum Scripturæ sensum amisisse. (*Fertur,*) inquit, præcipuus (*doctor in Israël,*) & doctrinam de naturæ corruptione, & de spirituali regeneratione (*ignoravit.*) Quod non tam exprobrantis, quam admirantis & dolentis est, eò rem cum Ecclesia Dei rediisse, ut ipsa principia & fundamenta doctrinæ cœlestis, non vulgò tantum, sed ipsis doctoribus ignota sint. Simul verò ostendit, non novam esse hanc doctrinam, sed doctorem Israël non debere ignorare, quam multis testimoniis Scripturæ veteris Testamenti naturæ nostræ corruptionem describat ac deploret, & quam multis in locis Prophetarum spiritus regeneratio describitur, ut Psal. 51, 7. Ezech. 11, 19. & 36, v. 26. cum quidem etiam de aquis mundantibus extent vaticinia. Ezech. 36, v. 25. & Zach. 13, v. 1. Summa igitur est: neminem quantumvis aliàs eruditum & celebrem, cum fructu posse in Ecclesia docere, si hæc, de naturæ corruptione, & de regeneratione, vel ignoret, vel non rectè tradat.

Subjungit autem Christus, (*Quod scimus, loquimur: quod videmus, testamur, &c.*) Hæc & sequentia simplicius & planius intelligi poterunt, si cogitetur, Nicodemum in postrema quaestione, & de ratione consequendi vitam æternam, quam

quam Christus docebat, & præcipue, cum Leviticis ceremoniis finem & abrogationem denunciaret, cur ad ministerium Verbi sui & Sacramentorum regenerandos deduceret, & affirmaret, baptismum esse lavacrum regenerationis Spiritus sancti, dubitasse. Ad has quæstiones si sequentia accommodentur, textus planus erit, ita scilicet decretum & constitutum esse, in arcano consilio Trinitatis: ac quia terreni sumus, ideo Deum per externum ministerium nobiscum agere, quia cœlestia aliàs capere non possumus. Nec in elemento aquæ virtutem salutis esse: sed propter meritum mortis & resurrectionis Christi nos salvari. Illud verò per ministerium Verbi & Sacramentorum nobis offerri & distribui, ac fide accipi. Hoc modo totus sequens contextus planus erit. Sed singula breviter percurremus, (*Amen, amen, dico vobis, quia, quod scimus, loquimur, &c.*) Insignis est hic locus de certitudine doctrinæ Christi: quod vera, certa, firma, & apud Deum rata sint, quæ Christus docet. Offendit interpretes pluralis numerus, (*Scimus, Loquimur, Testamur,*) ideo referunt hanc sententiam simul ad Christum & ad Baptistam, qui de corruptione naturæ, & de fide in Christum justificante & salvante idem docuit, quod hoc loco Christus, sicut in fine tertii capitis Johannis apparet. Alii interpretantur de doctrina Christi & omnium Prophetarum & Apostolorum: quod Christus & suæ & ministrorum suorum doctrinæ certitudinem eandem vindicet. Sed verba illa, (*Scimus & Vidimus,*) Christo propriè conveniunt, sicut inquit Joh. 8, 38. Ego, quæ vidi apud Patrem meum, loquor. & Matt. 11, 27. Nemo novit Patrem, nisi filius, Joh. 1, 18. Nemo Deum vidit, unigenitus filius, qui in sinu Patris est, ipse enarravit. Prophetæ enim ea, quæ ex afflatu spiritus didicerunt, & quæ ex revelatione audiverunt, locuti sunt. Sed nos, quæ scimus, quæ vidimus, testamur. Loquitur autem pluraliter, quia Joh. 8, 16. inquit: Non sum solus, sed ego, & qui misit me, Pater. Itē, v. 18. Qui misit, me mecū est, & non reliquit me solum. Et duorum testimonium verum est. Item: Spiritus Domini super me, Luc. 4, 18. Chrysoströmus ergo & Cyrillus rectè hoc loco pluralem numerum exponunt, sicut Joh. 14, 23. Veniemus & mansionem faciemus. Et Gen. 1, 26. Faciamus hominem. Insignis ergo hæc commendatio est hujus doctrinæ, & de regeneratione Spiritus, & de externo ejus ministerio: quod scilicet in arcano divinitatis consilio decreta, & per filium, qui in sinu Patris omnium secretorum divinitatis conscius est, & interpretis, enunciata est.

Quod verò addit, (*Si terrenæ dixi vobis,*) Chrysoströmus & Cyrillus ita interpretantur: quod hæc de corruptione & regeneratione, licet sint mysteria spiritualia, tamen si ad alia mysteria sublimiora conferantur, ut de Trinitate, & de cœlesti gaudio vitæ æternæ, quod in cor hominis non ascendit, terrena, & quasi rudimenta fidei censerentur possint. Unde *ἐπιγινώσκοντες* quidam intelligunt, quæ hic in terris in Ecclesia sūt: *ἐπιγινώσκοντες* verò, *ὅτι ἐσὶ ἰμῶν* *μετὰ τὴν γῆν*, ubi facie ad faciem Deus videtur. Augustinus ita interpretatur. Quomodo cœlestia hæc mysteria intelligetis, cum antea terrena, quæ de solvendo templo vobis dixi, non credideritis? Sed simplicitus erit, quia similitudinem de vento

usurpaverat, si sententiam hanc, & de modo docendi simpliciiori, quo Christus mysteria illa proposuit, & de externo ministerio, quia de aqua & spiritu dixerat, intelligamus. Dicit itaque, se cœlestem illam sapientiam non proponere linguis angelorum, quæ captum humanæ mentis etiam Spiritu sancto illustrata, in hac vita excedunt: sed ait, se loqui terrestria. Quod non de subjecta materia, quæ spiritualis & cœlestis est, sed de modo docendi intelligendum est: hoc est, affirmat, se non uti cœlesti genere dicendi: sed tam familiari, simplici, & quasi rudi ratione docendi, ut judicetur, non cœlestia, sed terrestria loqui. Sicut Paulus Rom. 6. v. 19. & Galat. 3. v. 15. cum simplicitus & crassius doctrinam explicaret, inquit: Humanum aut secundum hominem dico propter infirmitatem carnis vestræ. Ubi ratio exponitur, quare tam simplex & plebejum genus dicendi sit in sacris literis, præsertim in novo Testamento. Augustinus inquit: Sicut nutrix demittit se ad gressus infirmiores infantuli: ita divina sapientia, non cœlesti magnificentia, sed terrestri simplicitate de summis mysteriis loquitur, accommodans se ad infirmitatis nostræ captum, ut ea, spiritu illuminante, intelligere & credere possimus. Quomodo, inquit, si cœlestia vobis dicerem, crederetis, cum non credatis, quando terrena vobis dico? hoc est, quando cœlestia vobis trado, & propono ratione docendi simpliciore & plebeja, quæ ruditati vestræ accommodata est. Deinde utiliter & simplicissime hæc verba ita intelligi possunt: cur quærentes efficaciam spiritus, regenerationem & salutem, Christus deducat ad externum ministerium verbi & Sacramentorum: quod scilicet propter infirmitatem nostram cœlestia illa beneficia & dona, non in cœlesti majestate, sed sub involucris terrenis, per externum scilicet ministerium verbi & Sacramentorum, quæ res terrena sunt, nobis aliàs usitata & familiares, offerat, exhibeat, distribuat, applicet, obsignet, ita ut Evangelium prædicatum & auditum sit virtus Dei ad salutem omni credenti, Rom. 1, 16. Et per lavacrum aquæ Christus mundet & sanctificet Ecclesiam, Ephes. 5, 26. Hoc enim naturæ nostræ infirmitas, quæ aliàs in hac vita cœlestia dona capere non potest, sicut in vita æterna fiet, requirit. Et hæc etiam in parte divina majestas ad nostram infirmitatem se dimisit: quod scilicet per terrena, hoc est, per externum ministerium nobiscum vult agere, & per illud in nobis efficax esse.

Quod verò addit: (*Testimonium nostrum non accipitis, & non creditis,*) docet 1. tantam esse cæcitatem mentis nostræ, ut testimonium Christi, quod certissimum est, & clarissimè proponitur, non possit accipere & credere, nisi mens à Spiritu sancto illustretur, & fides accendatur. 2. Ostendit naturæ nostræ perversitatem, quæ externo ministerio offenditur, & spernit illud, cum nobis in bonum, propter naturæ nostræ infirmitatem, institutum sit illud. 3. Monet Christus his verbis: ne doctrinam Evangelii ex multitudine & qualitate eorum, qui ab ea dissentiant, æstimemus: & ne propterea offendamur, quando multi & magni sunt, qui hanc doctrinam non accipiunt. Christus enim de Nicodemo, & aliis Phariseis & Principibus Judæorum, loquitur, & ab illis dicit, non accipi-

testimonium illud, quod tamen totius Trinitatis est.

Sequitur in textu, (*Et nemo ascendit in caelum, &c.*) dupliciter hæc verba præcedentibus conjungi possunt: Primo, ut sint quasi explicatio ejus, quod dixit: Quod scimus & vidimus, testamur & loquimur. Inscrutabilia enim sunt judicia Dei, & impervestigabiles viæ ejus: quis cognovit mentem Domini? aut quis illi fuit à consiliis? Rom. 11, 33. Quis ascendit nobis in cœlum, ut inde afferat & annunciet nobis, Deut. 30, 12. Ad hæc Christus his verbis respondet: (*Nemo ascendit in cœlum, nisi filius hominis, qui est in cœlo.*) Unigenitus igitur filius, qui in sinu Patris est, qui novit & vidit, ipse enarravit nobis. Secundo potest hæc sententia ad doctrinam præcedentem ita accommodari: quod hæcenus Christus locutus sit de ministerio Verbi & Sacramentorum, per quod Spiritus sanctus efficax est, offerens & conferens beneficia Christi. Jam verò in sequentibus incipiat describere & personam Salvatoris & meritum ejus. Atque hoc modo verba considerata præbebunt valdè illustrem sententiam. Humanum genus propter peccatum cœlo exclusum est, & nemo suis viribus, virtutibus aut meritis unquam potuit aut poterit in cœlum ascendere, & hereditatem ejus recuperare. Unigenitus igitur filius Dei, qui in cœlo est, descendit, factus filius hominis. Aque ita humana natura in Christo per hypostaticam illam cum divinitate Verbi unionem ascendit in cœlum, ac rursus recuperavit hereditatem ac possessionem regni cœlorum, idè ut nobis, qui ipsius, ut filius hominis, fratres sumus, viam in cœlum aperiret, & dedicaret, Ebr. 10, v. 20. atque aditū ad cœlestem hereditatem regni Dei pararet, ut in Christo & per Christum, tanquam membra capitis nostri, in cœlū ascendere possimus. Atque idè Salvatorem nostrum oportuit esse & unigenitum filium Dei, qui in cœlo est, & filium hominis, ut ita nostram naturam, & nos fratres suos secum, per se & propter se in cœlum adduceret & eleveret. Ita non tantum descriptionem personæ Christi, quod Deus sit & homo, hæc sententia continet: sed simul monstrat doctrinam hujus usum. His ita explicatis, vocabulorum consideratio facilis erit, & aliquid monebit. Dicitur, (*descendisse de cœlo*): non quod divinitas perfectione locali cœlum reliquerit: (idè enim etiam post descensionem dicitur, qui est in cœlo,) sed quia assumendo humanam naturam, quæ cœlo exclusæ erat, filius hominis factus est ratione incarnationis & exinanitionis. Dicitur item de cœlo descendisse, non quod carnem de cœlo detulerit: sed quia ab æterno fuit in cœlo, hoc est, verus Deus, & carnem ex Maria per cœlestem operationem Spiritus sancti assumens, dicitur de cœlo descendisse, factus filius hominis. Hac verò unionem natura humana in cœlum seu regnū Dei subvecta ascendit, quod postea visibili ascensione declaratum fuit: Nemo enim hominū aliàs propria virtute, suo jure ac merito, in cœlum ascendit, nisi Christus filius Dei & filius hominis, per quem, & propter quem, cujus virtute, jure ac merito, omnes, qui cœli cives fiunt, ascendunt. Dicitur autem *filius ille hominis esse in cœlo*: non enim duæ in Christo personæ sunt, sed unica persona est

Deus & homo. Et quia in illa exinanitione habet & retinet divinam virtutem & omnipotentiam, plenus gratia & veritate, & quia plenitudo divinitatis in ipso inhabitat corporaliter: idè & in hanc sententiam filius hominis dicitur esse in cœlo. Porro usitatissimum est in tota Evangelica historia, quod Christus se vocat *filium hominis*. Rationem appellationis quidam afferunt, cum in terris Christus non habuit patrem, sed matrem tantum, idè vocari filium hominis, quasi unius: sed Græcè genitivus Hominis masculinus est, τὸ ἀνθρώπου. Operæ pretium autem est considerare, unde sumta sit illa appellatio filii hominis, quod Messia expectabatur, vocavit filium hominis: illum scilicet, quem Daniel in visione prospexit, sicut & filium Davidis vulgus Messiam appellavit. Atque inde Christus appellationem filii hominis appropriatè sibi accommodavit. Ratio igitur appellationis filii hominis hæc complectitur: 1. Quod sit appellatio à Daniele peculiariter Messia attributa. 2. Quod Christus verus sit homo. Cum enim filius Dei potuisset è terra sibi creare carnem humanam, sicut Adam formatus fuit, vocat se Christus non hominem tantum, sed filium hominis: qui scilicet ex Maria carnem assumeret, factus ita filius hominis. 3. Quia in Hebræa lingua excellentes & clari viri existentes in magna dignitate & auctoritate, vocantur filii viri; plebei verò & obscuri, vocantur filii hominum: idè propter summam humilitatem & exinanitionem in forma servi vocat se Christus filium hominis. 4. Potest & hæc ratio addi: quod Ezechiel, licet obscurus, abjectus & contemptus esset, tamen quia ad publicum in Ecclesia officium & ministerium a Deo missus erat, semper à Deo compellatur filius hominis. Sicut & ratione officii & ministerii Pater Filium apud Isaiam ita compellat: Ecce servus meus, &c. Isa. 42, 1. Hæc de ratione appellationis filii hominis simplicia, plana & utilia sunt, quæ hoc loco semel, quia appellatio sæpius occurrit, annotare volui. Et Christus, ne peregrina, quæ Nicodemo Magistro Israelis prorsus ignota essent, docere videretur, tota hac sententia respexit ad locum illum Danielis 7, 13, de filio hominis ascendente in cœlum, & in nubibus veniente ad antiquum dierum. Sicut & ex illo loco Danielis hæc sententia illustrari potest.

(*Et sicut in deserto Moses exaltavit serpentem, &c.*) Quia autem dixerat: Es tu Magister in Israel, & hæc ignoras: idè proximam sententiam ex Prophetis, & hanc ex Mose allegat. Semper autem cogitetur, quomodo membra doctrinæ in hac concione cohæreant: Initio dixit, Spiritum sanctum per ministerium Verbi & Sacramentorum distribuere beneficia regenerationis, justificationis, adoptionis, salutis, & vitæ æternæ. Et personam Salvatoris, cujus beneficia hæc sunt, in proximo versu

verfu descripsit. Nunc igitur in hoc verfu ostendit, quo merito Salvator beneficia illa, nobis distribuenda, acquisierit. Regeneratio enim ad optio & vita aeterna, pendent ex merito & efficacia Christi.

Nota autem est historia de exaltatione serpentis, Num. 21. v. 9. quæ inter omnes figuras Veteris Testamenti maxime apposita visa fuit Christo, ad explicandam & illustrandam hanc doctrinam. Sicut enim tunc in deserto, ita natura nostra veneno serpentis in Adamo sauciata & infecta, nullo emplastro sanari potuit, sed aeterna morte ipsi pereundum fuisset. Sed filius Dei, factus in similitudine carnis peccati sine peccato, sicut aeneus serpens formam igniti serpentis habuit, sed absque veneno, & in ligno exaltatus fuit: ita Christus peccata nostra in corpore suo portavit super lignum, 1. Petr. 2. v. 24. Atque ita obedientia & passione sua peccata nostra expiavit, à morte aeterna nos liberavit, iustitiam & vitam, aeterna redemptione inventa, acquisivit. Et illa beneficia Spiritus sanctus per ministerium distribuit. Exaltatio enim de Christo in Scriptura tribus modis usurpatur: 1. Pro passione, crucifixione & morte Christi qua in ligno suspensus, peccatum & maledictum pro nobis factus est, ut nos à maledictione Legis liberaret, Gal. 3, 13. Ita usurpatur Joh. 8. v. 28. & 12. v. 32. ubi additur, quod vocabulo exaltationis significarit, qua morte esset moriturus. 2. Vocatur in Scriptura exaltatio Christi, quod victor peccati & mortis acquisita iustitia & vita ad dexteram Patris exaltatus est, Actor. 2, 33. Phil. 2. v. 9. ut vultui Dei appareat pro nobis, Ebr. 9. v. 24. ut quæ per viam ejus servemur, Rom. 5. v. 10. Vocabulum igitur exaltationis hoc loco complectitur omnes illas Scripturæ sententias, quæ docent, Christum traditum propter peccata nostra, & resurrexisse propter iustitiam nostram, Rom. 4. v. 25. 3. Vocabulum exaltationis referri potest ad locum Isa. 11. v. 10. quod scilicet meritum Christi per ministerium Evangelii, tanquam erecto vexillo, omnibus proponatur: sicut serpens aeneus in ligno erectus omnium oculis in deserto proponebatur. Cum quæ antea Legem in deserto quidem accepissent, contra lethales verò serpentum morsus ex Lege nihil poterant remediū habere, sed divino beneficio, gratuito aspectu exaltati serpentis sanabantur: Ita non est data Lex quæ posset vivificare, Galat. 3. v. 21. Et ex operibus Legis non justificatur omnis caro. Oportuit igitur filium hominis, 1. ut victimam exaltari in cruce. 2. ut Mediatorem ad dexteram Dei exaltari. 3. tanquam vexillum Isa. 11. v. 10. erigi, & nobis in Evangelio proponi, ut intuitu fidei ad illum confugiamus, & meritum ejus fide nobis applicemus, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Et ratio fide etiam inde colligitur. Qui enim morsus serpentum sentiebant, cum nec in Lege nec alibi antidotum contra venenum illud invenire possent, ne tamen perirent, humili intuitu se converterunt ad exaltatum serpentem. Et quia non ratione aris, sed ratione institutionis & promissionis divinæ aspectus ille serpentis sanabat. In illo igitur aspectu fides promissionem tunc apprehendit. Ita fides in vera poenitentia Christum in pro-

missione quarit, intuetur, & apprehendit, & in Christo invenit meritum & efficaciam salutis & vitæ aeternæ. In hoc enim Christus differt à serpente illo aeneo, qui in se non habuit virtutem sanandi. Et inde fit, quod omnis, qui credit in Christum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Ita ergo persona Salvatoris descripta est: deinde meritum ejus: tertio medium per quod Spiritus beneficia illa offert & distribuit, ministeriū scilicet Evangelii: quarto, fides etiam, quæ medium seu organon est, quo beneficia illa Christi apprehendimus, accipimus, & nobis applicamus, ut non pereamus, sed vitam aeternam habeamus.

(Sic enim Deus dilexit mundum, &c.) Erasmus hæc verba cum sequentibus accipit tanquam ab Evangelista explanationis gratia præcedenti concioni Christi subjecta. Textus enim in tertia persona de Christo loquitur. Sed contextus optime fluit, & plus habet auctoritatis, si accipiatur, esse continuatio concionis, & verba esse ipsius filii, qui solet de seipso in tertia persona loqui, cum alias tum in hac ipsa etiam concione in præcedentibus, nemo, nisi filius hominis: Item, oportet filium hominis exaltari. Et hoc loco particula δ ostendit *ἀντιλογίαν* cœptum à Christo sermonem continuari. Ac consideretur, quomodo membra doctrinæ cohæreant. Dicitur est hæcenus, quid in negotio justificationis filius faciat: quid Spiritus sanctus: jam additur, quæ in hoc negotio partes sint Dei, qui Pater est unigeniti Filii. Et explicatur, quomodo & unde factum sit, quod Filius Dei incarnatus liberationem nostri susceperit: quia scilicet ex immensa misericordia decretum hoc redemptionis in arcano consilio Trinitatis ita factum sit, ut ita constet, sine ullo nostro merito, ex gratuita gratia dilectionis seu misericordiæ Dei nos salvari: ut quæ certi simus, redemptionem, item justificationem & salvationem fide, propter Christum, ratam esse apud Deum. Breviter autem ostendemus, quomodo singula verba expendenda sint. Quod enim in significatione præterita dicit, *ἠγάπησεν*, (Dilexit mundum:) eo verbo deducit nos ad considerationem ejus, quod plenius explicatum extat, Ephes. 1. v. 5. & 2. Timoth. 1. v. 9. quod scilicet ante jacta fundamenta mundi, & ante tempora secularia, ex gratia, juxta propositum & beneplacitum voluntatis suæ, prædestinavit & constituit Deus, nos, per sanguinem Christi, redimere, adoptare, & acceptos sibi reddere ad vitam aeternam. Non igitur obiter, vel leviter, vel subito impetu in cogitationem redemptionis Filius Dei devenit: sed in arcano consilio Trinitatis decretum hoc fuit ante tempora secularia. Firma igitur & rata sunt illa omnia. Et tunc quidem, cum ante tempora secularia nondum essemus, nullum potuit mundi meritum esse. Ac ne quis cogitet, Deum aliquid prævidisse in nobis, vel causam aliquam in nobis esse, unde Deus dignum judicavit, ut nos respiceret, & liberaret: Christus antithesis facit inter Deum & mundum, hoc est, homines peccato corruptos. Deus enim est summum bonum, sibi sufficiens, nullius indigens, & nullius debitor, habens præstantissimum Angelorum multa millia facientium voluntatem suam: Homo verò est pulvis & terra, tanquam

quam flos decidens, & fumus evanescens. Quid igitur est homo tam misera creatura, quod memores ejus? & filius hominis, quod respicis ipsum? Pf. 8. v. 5. Imò mundus totus in malo culpæ & pœnæ submersus est, 1. Joan. 5, 19. Sensus carnis inimicitia est adversus Deum, Rom. 8, 7. Et Deus est zelotes, non volens, sed puniens & damnans peccatum. Quòd igitur Deus, qui talis est, talem mundum non abjecerit, non damnarit, sed absque meritò, imò contra quàm merebatur, dilexerit hæc immensa, incomprehensibilis, imperscrutabilis & ineffabilis est misericordia. Sicut Paulus inquit Rom. 5. v. 8. Commendat Deus caritatem suam erga nos, quòd cum peccatores & inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est: cum vix in causa justa, & pro re utili quis mori sustineat. Non autem cogitandum est, quòd Deus ipsum peccatum diligat, seu approbet: vel quòd non curet, sive homines sibi repugnent, sive obsequantur: vel quòd homines in sceleribus perseverantes gratos & acceptos sibi habeat. Hoc enim simpliciter pugnat contra totam doctrinam Legis, cujus ne unum quidem Jota destrui & cadere potest, quin impleatur, Matth. 5, 18. Rom. 3, 31. Sed verbum Diligere, complectitur misericordiam, sicut explicatur Ephes. 2, 4. quòd scilicet Deus, prospiciens in tristissimam corruptionem & in miserissimam perditionem totius generis humani, ex immensa misericordia & commiseratione condolerit, universo generi humano tam miserè in aeternum pereundum esse, quodquè illa misericordia & commiseratione motus, cogitarit & decretum fecerit de redimendo & liberando genere humano, cum quidem angelicam naturam, quæ nostra multò est præstantior, lapsam præteriret, & in merita damnatione relinqueret. Nam & hæc consideratio commendat caritatem Dei erga nos: Ne verò contradictoriæ seu pugnantis voluntates in Deo ponantur, semper cogitandum est, ad intercessionem filii Dei, offerentis se ad satisfactionem decretum hoc redemptionis factum esse. Dilectio enim & misericordia Dei erga nos damnatos peccatores in Christo Mediatore fundata est.

Addit autem Christus, Deum non tantum dilexisse, sed (ita) sive adeò dilexisse mundum, (quòd unigenitum filium tradiderit.) Quæ verba opponit Epicuræ levitati cogitationum de reconciliatione. Sicut enim homo sæpè ex justa causa iratus, leviter mutato affectu iram remittit, pœnam indulget, & inimicum in gratiam recipit: Ita cogitamus etiam de reconciliatione generis humani cum Deo, quòd illa facta sit & fiat sola levi mutatione affectuum in Deo. Sed ita non opus fuisse Christum in crucem exaltari. Ideò hæc verba de tradito filio, ex hoc fundamento extruunt doctrinam redemptionis. Cum Lex sit perpetua & immota regula justitiæ in Deo, ita ut potius non tantum genus humanum, sed ipsum cælum & terram interire necesse esset, quàm vel unicus apex Legis cadere posset quin impleatur, Matth. 5, 18. Ideò sine perfecta impletione Legis, & sine plena satisfactione pro peccatis mundi, non potuit fieri redemptio & reconciliatio mundi. Homo verò corruptus Legem implere non potest: & si omnes simul in aeternum in inferno arderent,

tamen, quia meritas tantum pœnas exsolvent, ita non possent satisfacere pro peccatis quisque suis, nedum pro aliorum peccatis, sicut in damnatis patebit. Nec per angelum aliquem præstantissimum poterit fieri redemptio illa: in illa enim natura, quæ peccaverat & rea erat, necesse erat fieri satisfactionem. Neq; effici hoc potuit, si de novo homo aliquis purus & justus crearetur: requirebatur enim precium satisfactionis æquivalens pro peccatis totius mundi, & justitia impletæ legis sufficiens coram judicio Dei, ad justificationem omnium credentium. Ut igitur precium redemptionis esset æquivalens, & justitia sufficiens, decretum fuit in consilio Trinitatis, redemptionem non posse effici, nisi per unigenitum Filium Dei, quem necesse fuit incarnari, ut in nostra natura assumpta officium redemptionis perficeret, atque ita ad nos omnes pertineret. Non autem sola incarnatione aut levi aliqua deprecatione effici hoc potuit, sed unigenitus filius incarnatus, & sub Lege factus, Galat. 4, 4. tradendus fuit pro nobis potestati tenebrarum, Luc. 22, 53. ut illa, omne jus, quod ex Lege contra universum genus humanum habebant, in Christo exequerentur, 1. Cor. 15, 22. Et Pater in Scriptura dicitur, Filium tradidisse: quia non pepercit ipsi, Rom. 8, 32. sed peccata totius mundi in ipsum conjecit, percussit ipsum propter peccata populi, & voluit ipsum contere, Isa. 53, 10. fecit ipsum maledictum pro nobis, Galat. 3, 13. ita ut exclamaret, Deus meus quare me dereliquisti? Pf. 22, 1. Tantæ molis erat, lapsam reparare salutem. Et tam magno æquivalenti & sufficenti, imò superabundanti precio, satisfactione, & justitia, inventa est aeterna redemptio, propitiatio & reconciliatio mundi, ut certi sumus, eam valere & consistere coram judicio Dei. Ita totum ministerium redemptionis involutum est in parvis illis verbis: (Sic Deus dilexit mundum, ut unigenitum filium traderet.) quæ verba, quomodo simpliciter & utiliter expendi & evolvi possint, paucis ostendere volui. Sensus igitur est, cum Deus videre, tanti constitutam redemptionem generis humani, potius tamen, quàm vellet totum genus humanum in aeterna perditione relinqueret, maluit, non adoptivum aliquem filium, sed unigenitum filium suum tradere. Adeò Deus dilexit mundum. Et adeò filius Dei dilexit me, & tradidit semetipsum pro me, Galat. 2, 20. Quæ verba in hac vita non possumus satis assequi, nedum explicare, sed in vita aeterna cum perpetua admiratione illa demum rectè intelligemus: nunc tantum ex parte, tanquam in ænigmate, illa agnoscimus.

Addit autem, finem & meritum hujus redemptionis esse, (ut non pereamus, sed vitam aeternam habeamus.) Syrus interpres habet vocabulum אֱתֵרָא, quod significat talem perditionem, quæ inferno solet conjungi, Prov. 15. vers. 11. & 27. vers. 20. Et Diabolus inde vocatur אֱתֵרָא Angelus perditionis, Apocal. 9. v. 11. Et in Commentariis usurpatur pro damnatione aeterna. Hoc igitur Christus merito suo nobis acquisivit, ne in judicio Dei propter peccata, juxta Legis sententiam, ad aeternam damnationem disperdamur, sed quòd credentes vitam aeternam propter ipsum consequimur. Et eo ipso ostendit, extra Christum nos habere-

hære in æterna perditione, & alienos esse à vita æterna.

Simul verò fidem ostendit esse ordinarium organon, quo gratiam illam Dei & meritum Christi ad liberationem à perditione & ad vitam æternam accipimus, apprehendimus, & ut nostrum fiat, nobis applicamus. In Lege multa varia & impossibilia opera requiruntur, hæc verò beneficia Christi Deus ita nobis per ministerium Evangelii offert, ut fidem tantum, quam & ipsam Spiritus sanctus per verbum in nobis efficit, afferentes, meritorum Christi reddamur consortes & participes. Ita tota salus nostra Dei beneficium est, & in solidum ex Deo pendet. Utque totum mundum ad participationem meritorum Christi invitet, & excusationem incredulis præcidat, dicit, *(ut omnis, qui credit in ipsum.)* Quæ verba simul etiam consolationem complectuntur contra indignitatem, qualiscunque & quantuscunque peccator, cujuscunque conditionis & ætatis sis, modo verè in Christum credas, salvus eris. Omnis enim, qui credit in ipsum, non peribit, sed salvus erit. Veram autem fidem non existeret, nisi in ferria pœnitentia, & postea efficacem esse per caritatem, alibi explicatur. Hoc loco illud tantum, quod Christus dicit, explicamus, non requiri, ut nostris operibus dignos & idoneos nos reddamus ad participationem meritorum Christi, vel, ut de nostro aliquid assuamus, sed tantum ut plenam satisfactionem, & perfectam justitiam Christi, quæ in Evangelio nobis offeruntur, fide, tanquam egena & mendica manu ad nos recipiamus, id què ideò, ut firma sit promissio, Rom. 4, 16. Atque hinc etiam colligitur, quomodo & quare fides justificare, vivificare, & salvare dicatur: scilicet non ratione virtutis & qualitatis suæ, sed quia Christum, cum merito obedientiæ & passionis suæ, in promissione Evangelii nobis oblatum, accipit, & interponit illum inter peccata nostra, & iram atque judicium Dei. Et talem fidem Deum acceptare, inde certum est: quia ipse filium pro nobis in mortem tradidit, & per Spiritum, in ministerio Evangelii, ipsam nobis, ut salvationem, offert, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Pater etiam hinc, quare fides debeat esse firma fiducia. Qui enim dubitat, an meritum Christi sibi sufficiat ad salutem, is contumeliosus est in acerbissimam mortem Christi. Quæ verò hallucinatur, an Pater credentes propterea velit acceptare, is negat decretum in communi consilio Trinitatis factum, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, &c. Non dubitent igitur, qui fide cum Deo reconciliati sunt, se à Deo seriò diligi, cum adeò nos dilexerit, cum adhuc inimici essemus, Rom. 5, 10. cumque præstantissimum pignus amoris sui, unigenitum filium, nobis dederit.

(Non enim misit Deus filium suum in mundum, &c.) In Veteri Testamento sæpius minatur Deus, se venturum, ut judicet. Atque inde factum est, quòd, quando Deus in specie aliqua apparuit, homines consternati leguntur: sicut in Paradiso post lapsum. Conscientia enim rea, existimans Deum ad judicium venire, judicem, quem scit, se sustinere non posse, fugit. Ideò Christus inquit:

(Non misit Deus filium in mundum, ut judicet mundum.)

Harm. Tom. I.

dum, &c.) simul autem ostendit, alium restare adventum, quo venturus est, ut judicet. Quomodo verò non pugnet contra hanc sententiam, quod Joh. 9, 39. scriptum est: In judicium ego veni in mundum, suo loco explicabimus. Et judicare quidem sæpius pro condemnare usurparur. Sed si propriè accipiatur, illustris erit sententia, declarans præcedentia. Est enim judicium Dei, in quo juxta normam & rigorem Legis fit inquisitio in totam naturam & vitam hominis, & pronunciat, vel benedictio, vel maledictio, prout quis, vel permanferit, vel non permanferit in omnibus, quæ in Lege scripta sunt. Quia verò Deus scit, nos rigorem illius judicii ad tribunal Legis non posse sustinere: Nemo enim vivens in conspectu Dei justificabitur, si in illud judicium nobiscum intraverit, Psal. 143, 2. Ideò, priusquam omnia in judicium illud adducantur, Eccles. 12, 14. Deus Filium suum misit in mundum, ut mundus non judicetur, sed salvetur. Unica enim salus nostra est, ut in illo judicio non judicemur. Sed exempti sumus ab illo judicio, sicut Christus dicit, ut mundus salvetur & non judicetur. Quia verò exceptio illa declinatoria fori per se non valet: Judicium enim illud Dei juxta Legem, quæ est perpetua & immota regula justitiæ in Deo, tolli non potest, nisi ei satisfactum fuerit, ideò Filius Dei per incarnationem missus in mundum, judicium illud Dei nostro loco subiit, factus pro nobis peccatum & maledictum, atque ita nos à judicio illo Dei & à condemnatione ejus liberavit, Galat. 3, 13. Atque ita & inde fit, quòd, qui credit in ipsum non judicatur. Christus enim subeundo pro nobis judicium illud Dei, promeruit & acquisivit credentibus privilegium exemptionis & appellationis. Ac mutatum jam est forum seu tribunal judicii. Pater enim omne judicium dedit filio Mediatori, Joh. 5, 27. qui loco tribunalis Legis posuit thronum gratiæ, Ebr. 4, 16. Quando igitur Lex agentes pœnitentiam & credentes citat ad tribunal severæ justitiæ Dei juxta Legem, ubi subsistere non possumus, tunc fides nostra opponit hoc privilegium exemptionis: quòd scilicet, quia Christus pro nobis judicio illi satisfecit, nos nec velimus nec debeamus coram illo tribunali Legis judicari, sed à tribunali Legis fide provocamus ad thronum illum gratiæ, atque ibi à sententiâ damnationis, quam coram tribunali Legis justè propter peccata nostra passi sumus, absolvimur propter satisfactionem Christi, quam fide apprehensam interponimus. Valdè illustris itaque est hæc sententia, & quam seria actio sit reconciliatio peccatoris cum Deo, non potest rectius intelligi aut explicari, quam ex imagine illa judiciali, quam Christus in hac sententiâ proponit. Et quia mens humana, vel Pharisaicas vel perfunctorias & leves cogitationes, de reconciliatione hominis cum Deo, concipit. Ideò ex hac phrasi Filii Dei, Paulus, vocabulo justificationis forensi & judiciali, totam hanc doctrinam solet complecti & explicare. Credentes itaque non timeant, ne fortè à Christo, si ad ipsum confugiant, propter peccata damnentur. *(Non enim misit Deus filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut mundus salvetur per eum.)* Et quia tamen Deus suum severum habet judicium juxta Legem, quod sustinere nobis

impossibile est, ideo Christus dicit: Qui credit, non venit in illud iudicium, ea scilicet ratione, sicut jam explicatum est. Est autem hoc observandum, ex beneficiis Filii Dei non postremum hoc esse, quod non statim universale & extremum iudicium contra peccatores profertur. Ut enim haberemus spacium agendi pœnitentiam & quærendi per fidem absolutionem peccatorum in Christo, ideo distincti sunt duo adventus Christi. Et nunc, usque ad extremum diem, non venit ut iudicet mundum, sed ut mundus salvetur per ipsum: Et hic est fons bonitatis, patientiæ, & longanimitatis Dei erga peccatores, ut ita ducat eos ad pœnitentiam, Rom. cap. 2. vers. 4. Sed vae illis! qui hoc tempus gratiæ negligunt. Sequetur enim tempus iudicii: Ideo Christus addit: (*qui verò non credit, jam iudicatus est.*) Lex enim sententiam suam jam pronuntiavit. Maledictus qui non permanferit. Item, ira & tribulatio super omnem animam facientem malum, Rom. 2. v. 9. tantum deest, ut iudicium illud reveletur, & executioni mandetur. Unde Rom. 2. 5. extremus dies vocatur revelatio iudicii Dei. Alteram rationem Christus addit, (*Quia non credit in nomen unigeniti filii Dei:*) cum scilicet nulla alia ratio sit effugiendi sententiam condemnationis, nisi unica hæc, ut Christum, fide apprehensum, iudicio Dei opponamus. Qui igitur salutem in Christo propositam vel contemnit, vel rejicit, illi nihil restat, nisi revelatio & executio damnationis. Jam enim iudicatus est id quæ dupliciter: 1. coram tribunali Legis propter peccata. 2. coram tribunali Christi, propter spretam & rejectam gratiam, 2. Thess. 1. 8. Et utitur præterito *περισυρως*, (*quia non credit.*) In extremo enim iudicio non opus erit longa inquisitione, sed sententia hæc erit: Quia Tu non credidisti, ergo jam iudicatus es. Peculiaris verò phrasus est: (*Credere in nomen unigeniti filii.*) Sicut enim nomen Dei significat id, quod Deus in verbo de essentia & voluntate sua patefecit: sic credere in nomen Christi est, Christum fide ita intueri & amplecti, sicut persona & officium ejus in promissione Evangelii nobis offertur, sicut hætenus explicatum est. Et ita Johannes loquitur, 1. Joan. 5. 10. Non credidit in testimonium, quod testificatus est Deus de Filio suo. Porro Augustinus magnam constituit differentiam, quando dicimus, credere Deum quod sit, & credere Deo, quod etiam impii quandoquæ faciunt: & quando dicimus credere in Deum, quod iustorum proprium est. Sed in Scriptura hæc differentia tam scrupulose non servatur. Dicuntur enim & Pharisei, qui gloriam hominum magis amabant quam gloriam Dei, credidisse in Christum, Joh. 12. 42. Et Joh. 2. 23. multi dicuntur credidisse in nomen Christi, quibus ipse seipsum non credebatur. Ita Joh. 6. 29. promiscuè dicitur, ut credatis in eum, quem misit: et mox v. 30. quod ergo facis signum, ut credamus tibi? Joh. 5. 24. qui credit ei, qui misit me, habet vitam æternam. Et 1. Joh. 5. 10. qui credit in filium Dei: Et mox vers. eodem, qui non credit filio &c. Non inutilis tamen est distinctio illa Augustini, credere Deum, credere Deo, & credere in Deum: ut historica notitia & assensio à fiducia justificante discernatur. In E-

braismo verò verbum Credere cum præpositione construitur etiam, quando ministris Dei tribuitur, ut Exod. 14. v. 31. crediderunt in Domino, & in Mose servo ejus. Ita 2. Par. 20. 20. credite in Domino, & credite in Prophetis ejus. Longè aliter tamen credimus Prophetis, vel in Prophetis, quod scilicet doctrina ipsorum vera sit: Et aliter credimus in Deum, in quem solum fiduciam nostram collocare debemus. Sed simplicissima ratio est Grammatica observatio. Quia enim in Ebraismo verbum credere, vel absolute ponitur, vel construitur cum Dativo, vel cum præpositione Beth, Lamed, Æth. Ita in novo Testamento *πιστεύειν* aliquando ponitur absolute, Rom. 1. v. 16. in salutem credenti. Marc. 16. v. 16. qui crediderit, salvus erit: aliquando cum Dativo construitur, etiam quando de fide justificante sermo est, Joh. 5. v. 24. credit ei, qui misit me. Rom. 4. 3. credidit Abraham Deo: aliquando cum præpositionibus, *εις αὐτὸν, εις ὄνομα*, Joh. 3. v. 18. Credere *ἐν τῷ δικαίωμτι*, Rom. 4. v. 5. Credere *ἐν αὐτῷ*, 1. Tim. 1. 16. In hisce constructionibus nulla quærenda est sententia diverfitas. Græci enim Ebraicas constructiones diversas ita exprimere voluerunt.

(*Hoc est autem iudicium, quod lux venit in mundum, &c.*) Ne quis, ratione eorum, quæ hætenus dicta sunt, cogitet, neminem jam, etiam si impœnitens & incredulus sit, & maneat, damnari posse, quasi nullum restet aut futurum sit iudicium: ideo hæc sententia subjicitur. In qua simul ostenditur, quàm iuste & merito, qui non credunt, damnentur: ut murmurandi prætextus incredulis ita præcidatur. Simul etiam est admiratio & querimonia: cum Deus tam propensa voluntate salutem, tanto precio à filio partam, mundo damnato, gratis per Spiritum sanctum offerat, quod mundus magis tenebras amet, quàm lucem: Atque ita scandalum etiam illud tollit, quod inde oritur, quando videmus, majorem & potiore mundi partem Evangelium respuere, quorum persuasione, quæ existimant, se nihilominus salvos futuros, etiam si Evangelium contemnant & abjiciant, hæc etiam sententia opponitur. Tam multa complectitur hæc sententia. Et jam facilis erit verborum explicatio & accommodatio. Cum tenebræ operirent terram, & caligo populos, Isa. 60. v. 2. Cum totus mundus sederet in tenebris, & in umbra mortis, lux, oriens ex alto, visitavit mundum, & illuxit mundo luce Evangelii, partam à se vitam & salutem gratis offerens. Lux enim erat vita hominum, & luxit in tenebris, Joan. 1. 4. Cum igitur mundo non esset magno labore & difficili industria lux inquirenda & comparanda, sed lux ipsa ultrò venerit in mundum, homines verò magis dilexerint tenebras quàm lucem: Iusta igitur ipsorum, qui non credunt, est damnatio. (*Et hoc, inquit, erit iudicium,*) hoc est, quando Christus venerit ad iudicium, sumpturus vindictam de illis, qui non noverunt Deum, & qui Evangelio non obedierunt, 2. Thess. 1. v. 8. hanc sententiam condemnationis pronuntiabit: Propter multiplicia peccata tua incideras in condemnationem Legis: Ego verò iudicium illud pro te subii, & passione mea amarissima ab illa condemnatione te liberavi. Et qui-

quidem ut lux illuminatura omnem hominem veni in mundum: Tu verò magis dilexisti tenebras quàm lucem. Duplex igitur erit tua condemnatio: primò, propter peccata secundum legem: secundo, propter contentum Evangelii. Et hic erit vermis in aeterna damnatione nunquam moriturus. Tua culpa periisti! Potuisses facillimè evadere: Lux enim veni in mundum. Quoties volui te congregare? & noluisti. Hic erit fletus & stridor dentium.

Ostendit autem rationem, qui fiat, cum lux ipsa venerit in mundum, quòd homines, etiam qui clamitant, se desiderare salutem, lucem illam nolint accipere: (*Quia, inquit, homines magis dilexerunt tenebras, quàm lucem.*) Et in externis quidem naturaliter lux gratior & jucundior est, quam tenebræ: & lucem homines naturaliter expetunt, & in tenebris exhorrescunt. Sed tanta est naturæ humana corruptio, ut in spiritualibus magis tenebras diligant, quàm lucem. Omnes autem opinioniones, cultus, & traditiones, extra lucem Evangelii, sunt tenebræ: deinde etiam peccata ipsa vocantur opera tenebrarum, Ephes. 5, 11. Cum igitur homines vel sint Pharisei vel Epicurei, aliæ sunt tenebræ, quas Pharisei; aliæ, quas Epicurei diligunt. Ac de utrisque intelligenda est hæc sententia. Pharisei enim persuasionem propriæ justitiæ, rationis opinionibus, & hominum traditionibus ac cultibus inde extractis, plus delectantur quàm luce Evangelii, atque idèò lucem hanc non accipiunt, ut in solo Christo fide quærant salutem & vitam: nec relevabit ipsos, quòd intentione non mala hæc faciant. Hoc enim est iudicium: Qui lucem hanc non accipit, sed tenebras suas amat, condemnabitur. Epicurei verò sordibus peccatorum & operibus tenebrarum ita delectantur, ut per pœnitentiam nolint ab illis recedere, nec per fidem ab illis solvi & liberari. Nec fallant se inani persuasionem salutis. Qui enim tenebras magis amat quàm lucem, habent iudicium condemnationis. Lux enim venit in mundum, non ut approbet, sed ut arguat mala opera: scelerati verò nolunt mala sua opera argui ad pœnitentiam, idèò non veniunt ad lucem. Arguit autem lux illa non tantum externa mala opera, sed totam naturæ corruptionem: unde fit, quòd Legi Dei non possumus perfecta obedientia satisfacere. Cumq; hypocritis humano iudicio facile sibi possit fingere persuasionem propriæ justitiæ, & in illis tenebris se jactare & venditare; lucem igitur illam, quæ opinionibus & persuasionibus ipsorum contraria est, non amat, non accipit, sed odit: quia hypocritis istam detegit, & etiam ea, quæ videntur esse præstantissima opera; arguit, vel, quòd sint frustranea, si absque mandato Dei suscepta sint, Matth. 15, 9. vel quòd sint imperfecta & polluta, atque idèò cum coram iudicio Dei subsistere non possint, alia nobis justitia opus esse, quæ scilicet ex fide Christi est, Rom. 7, 24. Phil. 3, 9. Ultrasque igitur tenebras, non tantum Epicureas, verum etiam Pharisaicas, in hac sententia Christi comprehendendi, inde rectè colligitur: cum Nicodemo enim, qui Phariseus erat, Christus loquitur.

Addit autem generale axioma seu proverbialem sententiam (*Qui malè agit, odit lucem,*) inde

sumtam: Qui vel sceleratè vel turpe aliquid agit, non vult accuratè in se inquiri, ut hypocritis latere possit. Hanc generalem sententiam Christus ad subjectam materiam doctrinæ suæ, quam, hoc loco tradit, accommodat. Et hæc explicatio simplicissima est. Cumque Christus dicere velit, homines odisse lucem, & nolle venire ad lucem, sicut mox explicat, utitur tamen hac phrasi: (*Magis dilexerunt tenebras, quàm lucem,*) ut ostendat: multos verbis simulare se Christum & Evangelium non odisse, sed amare, qui tamen re ipsa & factis ostendunt, se tenebras magis amare: cumque impossibile sit, simul & lucem & tenebras amare, Christus pronunciat, eum, qui tenebras magis amat, odisse lucem, & non venire ad lucem. Quod contra eos, qui utrumque simul se amare fingunt, & lucem & tenebras, & qui verbis simulant, se lucem amare, & factis contrarium ostendunt, diligenter notandum est. Et ex hoc textu rectè intelligitur, quòd Augustinus solet disputare: solam infidelitatem esse peccatum damnans. Sunt quidem reliqua peccata per se damnabilia: sed quia pro illis Christus satisfecit, credentibus remittuntur. Non autem ita satisfecit, ut etiam non credentibus remittantur. Infidelitas igitur reliqua omnia peccata, ne dimittantur, retinet. Et sicut vulneratus, cui salutaris medicina offertur, si illam respuat, moritur, non quia vulneratus fuit, potuisset enim sanari, sed quia medicina, qua sanari potuisset, non voluit uti: ita omnia peccata per se sunt mortalia & damnantia, sed Christus sua passione effecit, ut credentibus remittantur. Quando igitur reliquis peccatis accedit infidelitas, tunc fiunt verè mortalia & damnantia, remitti enim, nisi per fidem Christi, non possunt. Iudicium igitur Christi condemnat infideles, non idèò propriè, quia peccarunt, potuissent enim remissionem peccatorum in oblata Evangelii gratia accipere, si voluissent pœnitentiã agere, & in Christum credere: sed hoc est iudicium, quòd magis dilexerunt tenebras, quàm lucem.

(*Qui autem veritatem facit, venit ad lucem,* &c.) Est & hæc sententia generalis & quasi proverbialis, qui benè, candidè, & sincerè agit, non odit lucem, sed expetit, ut opera sua manifestentur. Veritatem enim facere, opponitur & sceleratè & simulatè factis. Videndum autem est, quomodo ad subjectam materiam generalis hæc sententia accommodanda sit, & quia hic sensus esse non potest, quasi homo ante regenerationem ex naturalibus viribus veritatem facere, hoc est, verè bona & Deo placentia opera facere possit, atque idèò tantum in mundum venisse, ut naturalia liberi arbitrii opera manifestaret in Deo esse facta. Hæc enim sententia, & huic concioni, & perpetuæ Scripturæ sententiæ repugnat. Mala enim arbor non potest bonos fructus facere. Idèò Augustinus hunc locum ex analogia sententiæ 1. Joh. 1, 8. (*Si dixerimus, nos peccatum non habere, veritas in nobis non est,*) ita conatur exponere, ut sensus sit: (*Qui veritatem facit,*) hoc est, qui agnoscit naturæ depravationem, & peccata sua inde orta, (*is venit ad lucem,*) ut iustificetur & renovetur, ut possit præstare opera, quæ in Deo sunt facta. Sententia quidem vera est, & fidei analogæ, & ita solet August. in locis obscurioribus, ut

in principio Geneſeos, articulos fidei, ſeu capita doctrinæ cœleſtis, quæ firma & certa ſunt, præſupponere, & ad illa textum obſcuriorem quomodocunq; accommodare. Ita enim explicatio in locis obſcurioribus, etiamſi verborum proprietatem non ubiq; aſſequatur, in fide tamen non errabit. Sed hoc loco, veritatem facere, non eſt, peccata agnoſcere. Chriſtus enim hæc duo opponit. Malè agere, & veritatem facere. Loquitur ergo de altera parte regenerationis, quæ renovatio ſeu ſanctificatio appellatur. Et doctrinam illam paucis & breviter hoc loco ita complectitur: 1. quòd in regeneratione non tantum gratia Dei, adoptio, & ſalus fide apprehendatur; ſed quòd ſequatur etiam veritas, quam Paulus Eph. 4. 23. vocat renovationem ſpiritus mentis noſtræ, & novum hominem, in juſtitia, ſanctitate & veritate. Quòd enim natum eſt ex ſpiritu, non manet caro, ſine omni renovatione: ſed eſt ſpiritus. Ita enim pars hominis renovata appellatur. 2. Quòd verè bona opera conſiſtant non in externa ſpecie, ſeu externa conformationè actionum cum Lege Dei, ſine veris interioribus motibus, ſed quòd conſiſtant in veritate, hoc eſt, in novis & veris motibus interioribus accenſis à Spiritu ſancto. Quòd enim hoc loco Chriſtus dicit, (*veritatem facere*.) hoc Paulus Eph. 4. v. 21. ita explicat, ſicut eſt veritas in Jeſu, deponere veterem hominem, & renovare ſpiritu mentis veſtræ, ac induere novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt, in juſtitia & ſanctitate veritatis. 3. Oſtendit, quomodo talia opera præſtari poſſit, quòd ſcilicet non ſint fructus carnis, hoc eſt, quòd non viribus naturalibus liberi arbitrii præſtari, ſed (*in Deo*) fieri debeant, hoc eſt, Deo per Spiritum mentè renovante, novas virtutes accendente, & ſpirituales facultates ad præſtanda verè bona opera, ſubministrante. 4. Quòd verè bona opera non ſint vel electitia, Col. 2. 8. Deut. 12. 8. vel ex præſcripto traditionum humanarum ſuſcepta, Matt.

15. 9. ſed (*in Deo facta*.) hoc eſt, quæ Deus in verbo ſuo præparavit & præſcripſit, ut in illis ambulemus, Ephes. 2. 10. 5. Oſtendit, quomodo credentium bona opera Deo placeant: quia ſcilicet (*in Deo ſint facta*.) hoc eſt, quia perſona fide cum Deo reconciliata eſt, & quia venit ad lucem, hoc eſt, ad Chriſtum, Johan. 1. 8. propter quem ſpirituales illa hoſtiæ 1. Pet. 2. 5. placent Deo. Hæc enim omnia comprehenduntur hac phraſi, (*Quia in Deo facta ſunt*.) hoc eſt, quia à Deo præſcripta, ejus ope, ad ipſius gloriam præſtita, quæ quæ in Deo, ſeu propter Chriſtum placent. 6. Quia verò, volentibus bonum facere, adjacet malum, Rom. 7. 21. ideò neceſſe eſt, accedere ad illam veritatem, de qua 1. Johan. 1. v. 8. ſcriptum eſt, ut agnoſcamus & confeſteamur peccata noſtra: ut ſcilicet in nova obedientia adſit, & in humilitate agnitio, & in veritate confeſſio, quòd tanquam pannus menſtruatæ ſint univerſæ juſtitie noſtræ, Iſa. 64. v. 6. Illas verò adhærentes ſordes diſcunt renati agnoſcere, quando ad lucem veniunt, & ſtatuunt, fide propter Chriſtum illas tegi. Monet etiam hæc ſententia, quando juxta mandatum Dei rectè agimus, hoc eſt, quando veritatem facimus, non debere nos curare varia & iniquiora mundi judicia: ex ſola enim verbi Dei luce de rectè factis judicandum: ac Deo ſoli judicium de operibus noſtris commendandum. Poſtremò, talibus operibus promittit, quòd licet coram mundo non magnam habeant ſpeciem & laudem: fore tamen, ut, quæ nunc quaſi in tenebris abjecta jaceant, in lucem aliquando adducantur, manifeſtentur, & celebrentur, quòd in Deo ſint facta, Matth. 25. 40. Ipſa verò gratia, adoptio & vita æterna, non noſtrorum operum, ſed juſtitie, obedientie & paſſionis Chriſti merces eſt, noſtri verò reſpectu, gratuitum Dei donum eſt, Rom. 6. 23. Ita ergò in hac ſententia Chriſtus oſtendit, regenerantium bona opera multis nominibus præſtantiora eſſe, quam Phariſæorum

C A P U T XXIX.

CONTINENS HISTORIAM, QUOD JESUS, POST COLLOQUIUM CUM NICODEMO, IN TERRA JUDÆA DOCENDO ET BAPTIZANDO VERSATUS SIT USQUE AD CAPTIVITATEM BAPTISTÆ: QUODQUE EODEM TEMPORE JOANNES ADHUC BAPTIZARIT IN ÆNON, Johann. 3.

R A T I O O R D I N I S.

IN præcedenti capite oſtendimus, Jeſum, exactis feſtivitibus, non ſolium diu hærere Hieroſolymis. Ideo, non diu poſt inſigne illud colloquium cum Nicodemo habitum, veriſimile eſt, ipſum diſceſſiſſe ex urbe. Quia vero Evangeliſta dicit, Jeſum veniſſe in terram Judæam, cum Jeruſalem in ipſa Judæa ſita ſit, quidam exiſtimant, ipſum ex Hieroſolymis tunc reverſum in Galilæam, atque inde rediſſe in Judæam: cum ratio temporis hoc facile admittat. Sunt enim

à colloquio Nicodemico uſque ad captivitatem Baptiſtæ menses ſex & ultra, ſed hujus perfectionis in deſcriptione Johannis nullum extat veſtigium. Scholaſtica hiſtoria conatur periodum illam, quæ Luca 4. verſ. 14. de reverſione Jeſu in Galilæam extat, huc referre. Sed Matth. cap. 4. 12. tradit ea, quæ Jeſus in Synagogis Galilææ doctrina & ſignis fecit, facta poſt captivitatem Baptiſtæ. Simpliciffima igitur ratio eſt, quam in proximo capite expoſuimus: quòd ſcilicet per terram Judæam Evangeliſta intelligat terram ſortis ſeu tribus Juda. Exempla enim Scripturæ